*TOMI I. PARS IX.*

ANONYMI,

*ut videtur*

FRANCISCI DE ZABARELLIS

Cardinalis Florentini

*Qui in Concilio Constantiensi eminuit*

# CAPITA AGENDORUM IN CONCILIO GENERALI CONSTANTIENSI DE ECCLESIÆ REFORMATIONE.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

*SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI*

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

Ex *antiquissimo Codice MSCto*

AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS

*eruta ab*

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Jul. Professore.

*FRANCOFURTI ET LIPSIÆ*

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

JO. FRANCISCUS POGGIUS
FLORENTINUS
In Oratione funebri Cardinalis
FRANCISCI ZABARELLÆ,
in Constantiensi Concilio defuncti.

* † *

Ejus præsentia
In omni re in Concilio Const. valebat.
Ut nihil agi posse videretur
ubi ipse non esset:
Qui & celeriter res animo comprehendere
& faciliter posset Concilio explicare.
Itaque deputabatur fere ad singula,
Verbaque ejus pro sententia habebantur.
Illud verò summe laudabatur,
quod ea,
quæ multi variis ex causis dicere nescirent,
solus hic apte loqueretur.
Nemo enim liberius in hoc Concilio
locutus est unquam,
nemo fidentius.
Deum plus verebatur quam homines,
animæ salutem corpori præferens.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

## *Christiano Lectori*
S. D.

## HERMANNUS von der Hardt.

LOcupletissimos jam dedimus testes tristium Ecclesiæ fatorum circa tempora Concilii Constantiensis, eosque vivos rerum illarum omnium spectatores: *Theodericum Vrie*, *Osnabrugensem Westphalum*, Ordinis Eremitarum D. Augustini in Osnabrugensi Conventu Professorem, magnæ doctrinæ & sanctitatis Theologum, teste Schiphowero, multis scriptis inclytum: *Nicolaum de Clemangiis*, *Catalaunensem Campanum*, oratorem elegantissimum: *Johannem Gersonem*, itidem *Campanum*, Theologum Christianissimum: *Petrum de Alliaco*, *Compendiensem*, Cardinalem prudentissimum: Quin & *Theodericum de Niem*, *Paderborna VVestphalum*, Episcopum Verdensem sagacissimum.

Et hos quidem *his suis reliquiis* hactenus orbi nostro haud satis conspicuos invenimus, sed ex ruderibus monumentorum vetustate collapsorum, ex *antiquissimis* inquam eruimus *MSCtis*, *Vindobonensibus Cæsareis*, *Brunsvicensibus*, *VVolffenbuttelensibus*, *Helmstadiensibus*, *Norimbergensibus*.

His *Germanis* ac *Gallis* alios ejusdem ævi Viros clarissimos, ejusdem illius tempestatis spectatores ac interpretes integerrimos, sub alio cœlo natos, addere æquum & justum est.

*Anglis* autem eisq; quatuor hic jam assignandus locus. En ergo *Paulum Anglicum*, JCtum, Canonum religiosorum peritissimum,

*Gualtherum Disse*, *Anglum*, Carmelitam Theologum, *Thomam Netterum*, Waldensem Anglum, Carmelitam quoque Theologum, *Richardum Ullerstonum*, Lancastrensem Anglum, Oxoniensis Academiæ Theologum.

Qui omnes atque singuli, ejusdem auræ participes, ejusdem calamitatis conscii, ejusdem de emendatione desiderii consortes.

PAULUS ANGLICUS, Decretum Doctor, circa tempora Concilii Constantiensis clarissimus, corruptionis publicæ in Ecclesia illius ætatis misertus, sed & zelo correptus, anno 1404. Bonifacio IX. adhuc superstite, proxime ante Concilium Pisanum, Constantiensis Concilii secuti principium, magni momenti scriptum edidit, quod insignivit *Aureum speculum Papæ, ejus curiæ, Prælatorum & aliorum spiritualium.* Eodem, si recte memini seculo (puto enim me vidisse) in lucem statim, inventâ vix typographia, prodiit. Edidit dein *Wolfgangus Wissenburgius* Theologus Basileensis, Basileæ ex officina Johannis Oporini A. 1555. Unde hoc seculo hausit *Goldastus*, inque *Tomum II. Monarchiæ S. Romani Imperii* transtulit, *f.* 1527. *seqq.*

Typographi lapsus in editione Goldastiana facile dissimulabitur, dum pro anno 1404. ad annum 1444. opus relatum in margine, f. 1527. Probe enim Goldastus ex ipso opere vidit veram temporis in autore ejusque scripto circumstantiam, quam & expressius ipse notavit, dum à suo, cum hæc ederet *Goldastus*, tempore, in principio hujus seculi anno 1414. *ante ducentos annos* autorem vixisse diserte monuit. Quod exacte cum re omni quadrat. Sicuti & *VVissenburgius*, anno 1555 scribens, à suo tempore *ante centum & quinquaginta annos* Paulum Anglicum floruisse notaverat.

Ceterum, cum hactenus nobis desit *MSCtum* hujus opusculi, legique impressum vel apud *VVissenburgium* vel *Goldastum* possit, integrum recensere animus non est. Suffecerit *breve* notasse *argumentum*, ut constet, conspirare plane hunc *Anglum JCtum* cum coætaneis suis, quos alia tunc viderunt regna, sive Gallis sive Germanis, quos supra stitimus.

Inscripsit opus Cardinalibus, universisque cleri capitibus, quin & omnibus Rom. curiæ ministris. Testatur statim dolorem, quem ex Pontificum tunc viventium Benedicti XIII. & Bonifatii IX diffidiis, nec non erroribus innumeris, illa ætate cumulatis, animo conceperit. A sacerdotibus legem, sed & ab iisdem legis contemptum natum conqueritur. Neque parcit in ipsa statim præfatione Ro. curiæ, quam illo tempore à planta pedis usque ad verticem capitis erroribus excœcatam appellat, quæque errorum suorum veneno tunc inebriarit omnes fere mundi partes, ac si immensam creatoris omnipotentiam Papa ad suum libitum posset limitare. Excusat igitur suum facinus, qui ausus silentium rumpere & publicis illis obniti malis: Quod pauci sint, qui palam hæc corripere velint; Principes vero mutuis etiam dissensionibus divisi tantam Ecclesiæ corruptionem non attendant. Admonet dehinc universum clerum, qui è somno excitatus manum admoveat, & medelam

delam paret, ante quam exitium ingruat. Viam se illis mostraturum ait. Corruptionis momenta hæc definit: Beneficiorum Ecclesiasticorum distributionem simoniacam, & Indulgentiarum indulgentiam nimiam: Prava de Simoniacis negotiis in sacris vel admissis vel probatis statuta ac judicia: indeque immanem Ro. curiæ lapsum. Utque posset tanto aptius & vulnera detegere toto libro, remediaque suppeditare, colloquii formam inter Petrum & Paulum operi conciliavit.

Sic ergo *Parte I. Capite I.* agit de titulo sacro, seu officio aut beneficio Ecclesiastico, unde originem trahat: Et eo quidem fine hoc sollicite tractat, ut constet, quæ Christianitatis sit corruptio, & quod eam non nisi solius Dei virtus possit emendare. Titulum Ecclesiasticum dicit esse jus spirituale ex electione, confirmatione, institutione, collatione, vel receptione canonica consentiente proveniens, ad præsidendum alicui Ecclesiæ, monasterio vel capellæ, seu ad aliquod divinum officium, aut aliud ministerium Ecclesiasticum circa aliquod, vel in aliquo eorum exercendum.

Hinc colligit: Eum, qui exercere illa sacra officia non possit, eorum esse incapacem, cui ne Papa quidem licite conferre queat. Proindeque pueros, ad officia sacra peragenda ineptos, de jure communi, plane esse excludendos, ut alii non sint pro illis subornandi, qui pro illis sacra faciant.

Cap. II. Enumerat seriatim Ecclesiasticas functiones, Pontificatum summum Romanum, Episcopatum Alexandrinum, Antiochenum. Dubium movet de Ecclesia Hierosolymitana, quæ videatur Romanæ præferenda. Verùm Romanam præfert, quæ aliorum omnium rationabiliter mater & magistra esse debeat. Posthæc designat Patriarchas, Aquilegiensem & Gradensem, aliosque inferioris gradus Ecclesiasticos, qui ad exemplum viverent eorum, qui ab Apostolis electi viri boni, pleni spiritu sancto & sapientia, mensæ ministrabant, cum Apostoli interim verbum tractarent. Ex quo in suspiria prolabitur, illo tempore Apostolicam vitam immutatam in Ecclesiasticis conquerens, qui pro verbo mensam curare rectius didicerint. *Proh dolor*, inquit, *modernis temporibus Apostoli per contrarium dereliquerunt verbum Dei & ministrant mensæ. Hinc est etiam, quod multiplicatis reditibus Ecclesiæ, & postquam ad proprietatem devenimus dictorum officiorum, nomina quasi ad sola temporalia commoda translata videntur: Et non officia sed beneficia nuncupantur, ex eo, quod unusquisque communiter quærit quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, ad amplius temporalia obtinenda quam divina ministeria exercenda.*

Cap. III. De legitima disserit ac illegitima officiorum Ecclesiasticorum ambitione. Illegitime interdum quæri, sed quæsita posse juste possideri. Injuste alia quæri & injuste possideri: Ut & juste quæri ac juste possideri. Illo tempore in Ro. Curia promotos raros esse qui juste quæsita juste possideant officia sacra. Conditiones recenset, antecedentes, concomitantes & consequentes, muneris sacri legitime quærendi ac obtinendi.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cap. IV. Electionis justæ exilium deplorat. Reservationes Papales, per regulas Cancellariæ definitas, fuse repudiat. Exceptionem, in honorem curiæ hæc reservari, solvit, non honorem curiæ præferendum esse saluti totius Germaniæ, Italiæ &c. Omne id reservandi jus Pontificibus denegat, utpote majorum constitutionibus e diametro oppositum. Aliam exceptionem: illam reservationem facere ad lites plurium de electione contendentium componendas, solvit: Reservari etiam, ubi omnis lis exulet.

Cap. V. Detestatur *Simoniam* curialium, qui functiones sacras auro metiri illo tempore soliti. Cathedram apostolicam decere non vendere sed regere & fideliter dispensare. Nullam virtutem, electionemque, vel divinam, locum habere, qui pecuniæ cedat. *Si etiam*, inquit, *per inspirationem Dei notoria esset de aliquo facta electio, & persona quantumlibet utilis, docta atque sancta, nisi dederit pecunias, vel de solvendo prius pacta fuerit, quasi supervacua pro sua confirmatione, aut aliàs pro quocunque Ecclesiastico beneficio laborabit.* Deplorat, ex illo turbido venalique foro proruere in Ecclesiam ineptos antistites. *Nonne totum hoc*, inquit, *sua venalitate tota curia Ro. propagavit, cum sic exorbitantes promoventur episcopi inutiles, idiotæ, scandalosi, ambitiosi, subditis violenti; aliisque beneficiis Ecclesiasticis, tam curatis quam non curatis, sine differentia discretionis personarum & inaniter præficiuntur lenones, coci, stabularii equorum & pueri. Tot ibi fiunt pactiones, tot quotidie interveniunt solutiones, quot, sine omni timore & verecundia, tractatores seu mediatores, simoniæ quasi forum constituentes publicum. Jam pro signatura Papæ super tali beneficio vel gratia debes tantum: jam pro dispensatione super talibus incompatibilibus tantum: Pro tali indulto, tantum: Pro absolutione à tali excommunicatione vel irregularitate tantum: pro talibus indulgentiis tantum, &c. publice paciscuntur & forisant.* Et *ille plus diligitur, qui astutiori sollicitudine, & majori astutia plures simplices decipit, & plures denarios scit venari. Tot & tantæ fiunt etiam exorbitantes* gratiæ, sed revera *multo verius dicerentur* mercantiæ, *quæ nunc fiunt, & appellantur* de die obitus, *nunc* dies obitus cum declaratione, *nunc*, perpetuum silentium, *nunc* clausula anteferri *vel* antelationis, *nunc* de proprio motu Papæ, *nunc* de clausula ceterorum quæ tollit jus quæsitum. *Nunc fiunt anticipationes datarum, nunc datæ Cardinalium conceduntur, nunc datæ Papæ, jam revocantur, jam immutantur, jam ad certum tempus duraturæ limitantur, jam renovantur, jam prælati de una Ecclesia ad aliam transferuntur, jam beneficiis suis propter pecuniam spoliantur. In omnibus his tota devotio consistit, ut denarius acquiratur.*

Damna ex hac venundatione oriunda enumerat, cleri avaritiam, ambitionem, lites, homicidia, bella. *Non hoc est custodire*, ait cum Bernhardo, *sed perdere* Ecclesiam, *non est defendere sed exponere, non est instituere sed prostituere, non est pascere gregem Dominicum*

*cum, sed mactare & devorare. Nec rectores sed destructores dici debebant tam promoventes quam promoti.*

Cap. VI. Vias legitimas commendat ad officia penetrandi; Si sincere intendatur honor Dei & salus proximi, mediaque debita adhibeantur, justa electione, legitima patroni præsentatione, & sufficienti examine. Deinde, si quis etiam optimo fine ambiat munus sacrum sive beneficium, conscius autem vel inscius offerat aut offerri sinat patrono pecuniam, urgeri consanguinitatem, preces, devotionem, adulationem, quæ hic magis attendat, quam personæ dignitatem, jus omne in officium esse irritum.

Cap. VII. & Cap. VIII. Multis hoc probat argumentis & dictis ex Scriptura petitis, ut & ex Jure Canonico depromptis, sana ratione etiam consulta.

Cap. IX. Simoniacos in periculo damnationis versari docet, ni injuste acquisita sua officia deponant. Quod aliàs pœnitentiam agere non possint. Parem cum simoniacis subire rationem illos, qui vel ob solam cognationem vel alio quodam civili respectu sint promoti. Varii de his rebus Canonicorum scrupuli fuse excutiuntur.

*Cap. X.* Et illos damnationis periculum incurrere existimat, qui sint Simoniacorum, vel Episcoporum auri ope promotorum officiales aut vicarii, nisi renuncient.

Quod enim ipse Simoniacus nullum jus habeat, non posse quoque eum aliis inferioribus jus sacrum dare. Sic adeo, si sciant Episcopum suum esse simoniacum, & hos inferiores participare in functione sacra de ejus simonia. Imo totam familiam ejus, prælatos & canonicos subjectos, participes esse. Ab his igitur, si Simonia sit notoria, sacramenta sumi non posse, nisi casu necessitatis.

*Parte II. Cap. I.* Scrupulos eximit, ab illis injectos, qui Simoniam Ro. curiæ pallient & excusent: Magnos scilicet & multos doctores esse qui obstent: Eosq; distinguere inter Simoniaca ex constitutione Ecclesiæ & talia ex jure divino.

Quam distinctionem rejicit tanquam superstitialem, quæ multis ansa fuerit damnationis.

*Cap. II.* Scripturæ S. V. & N. Test. testimoniis memorabilibus confirmat, nullum jus esse Papæ ulla sacra vendendi aut pro pecunia distribuendi. Eo quod gratis à Deo acceperit, & gratis esse reddenda.

*Cap. III.* Decretis generalium conciliorum idem roborat, nempe interdictam esse omnium sacrorum officiorum venditionem. Non posse autem Papam contra œcumenica concilia dispensare.

*Cap. IV.* Variis rationibus ex naturæ ordine ac jure petitis evincere laborat, Papæ illud jus de sacris officiis illo modo, auro interveniente, vel simili arte adhibita, dispensandi non competere. Dubia quoque mota solvit.

*Cap. V.* Multo studio impugnat Canonicorum distinctionem inter ea quæ jure divino & quæ institutione Ecclesiæ sint simoniaca, quasi hæc dispensationi sint relicta: Nihil enim venditionis ullo modo vel

præ-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

prætextu vel nomine in ſacris officiis admitti. Neque conſvetudinem ullum parere præjudicium.

*Part. III. cap. I.* Hæreſin appellat, dicere, Papam licite poſſe pro officio ſacro recipere pecuniam. Indeque accuſat ſimoniæ curiam Ro. ipſosque Cardinales, ceterosque miniſtros. Mortalis hos etiam peccati reos facit.

*Cap. II.* Cardinales admonet, ſint memores ſui nominis, virtutum Cardinalium, prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis & juſtitiæ, neque auri fulgore ſe faſcinari ſinant. Quin nec admittant ſua diſſimulatione, ut artes auratæ exerceantur in Eccleſia. Timoremque hæc emendandi illis excutere laborat.

*Cap. III.* Diſſerit de poteſtate Papæ ejusque dicta plenitudine, an ſine cauſa Epiſcopum poſſit removere, an poſſit contra jus naturæ diſpenſare, ut & contra juramentum, contra divinam legem. Fidelem diſpenſatorem ex voto Chriſti deſiderat, ut & prudentem: Eumque infidelem appellat, qui miſſo communi bono amplectatur privatum: Imprudentem, qui ſine diſcretione & ſine cauſa diſpenſet. A jure communi non eſſe facile recedendum. Diſpenſationem autem eſſe communis juris relaxationem, factam cum cauſæ agnitione, ab eo qui jus habeat diſpenſandi. A communi vero jure ſine cauſa abire, eſſe non populo conſulere ſed nocere, non præſtare regnum ſed augere diſcrimen. Hanc verò juſtitiæ eſſe regulam, neceſſitati & utilitati publicæ conſulere. Unde concludit, Ro. Pontificem pro lubitu contrarium facere non poſſe, ſed rationabilem ſubeſſe debere diſpenſationis cauſam. Sic repudiat exorbitantes gratias, aliis præjudiciales, qui pecunias pro illis non ſolverint. Poſſeſſores talium beneficiorum, à communi jure exorbitantium, aliis præjudicialium, in periculo damnationis verſari repetit, niſi auro ſive arte quæſita officia relinquant. Tales malæ fidei poſſeſſores eſſe, quæ nullo tempore præſcribat. Sic fuſe jam proſequitur, nullo modo contra jus divinum ac naturale poſſe diſpenſare Papam, in ſacrorum cura. Experientiam objectam, valere utique tales Papæ diſpenſationes ac ſacrorum diſtributiones, rejicit, quod ex externa forma & facto de jure non ſit judicandum.

*Cap. IV.* Examinat objectas regulas: Principem non teneri ſua lege: Conditorem conſtitutionis ex certa ſcientia contra ſuam conſtitutionem diſpenſare poſſe, ſine cauſæ congnitione: Papam ſub conditione & ad tempus, ſicut *velit*, poſſe beneficia concedere, ut apud ipſum ſit pro ratione *voluntas* inſtituentis. In his *voluntatem* ita explicat, ut notet, quod *velle debet, ſi neceſſitas ſuadeat.* Curate igitur inquirit in ſtatutorum pro vita hominum regenda indolem: Alia eſſe, quorum ſola voluntas conſtituentis ſit cauſa, quod ſcilicet Principi ſic placuerit: Et hæc jura mere poſitiva dici: Et in his apud Principem eſſe pro ratione voluntatem: Alia verò eſſe, quorum cauſa non ſit ſola voluntas, ſed dictamen rationis cogat aut lex divina: In his arbitrium diſpenſandi non conceſſum. Scrupulum injectum, ſic videri quod negetur plenitudo poteſtatis in Papa,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Papa, quæ sit supra jus commune, exemplo Petri, qui in administratione major fuerit Paulo, ut Papa etiam contra Paulum possit dispensare: Eximit: Nefas esse, contra divinas leges dispensare, cum Christus non venerit leges solvere sed implere. In bigamia in casu necessitatis posse dispensari concedit, ut & de matrimonio monachi aut monialis.

Claudit tandem hoc opusculum voto, faciat hic liber pro posteris instar Chronici, ut memores sint fatorum Ecclesiæ sub Bonifacio IX. Neapolitano, qui, cum hæc scriberet, annis fere quindenim Ecclesiæ præfuisset, dissensionesque papales annis 28. jam perdurassent. Optat reformationem Ecclesiæ à Christo. Excusat scribendi audaciam. Denique enixe desiderat pro emendatione opem Concilii universalis.

Sub finem hujus operis non præterit *Wissenburgius*, & ex eo *Goldastus*, hoc *Pauli Anglici Speculum Aureum* in processu Hussi sæpe commemorari.

Ex quo brevi argumento constat, idem Paulum Anglicum notasse, quod ceteri viri celebres, summi viri notaverant in sui illius temporis Ecclesia, nempe *Simoniam Bonifacianam*, nimiopere cumulatam.

Neque quisquam illius ætatis scriptor extiterit, qui non aliquas huic malo delendo affuderit lacrymas. Erat sane hoc præcipuum Concilii Constantiensis congregati & tanto molimine continuati momentum, quod non ipsi aliqui solum Cardinales, *Petrus de Alliaco, & Franciscus de Zabarellis*, moverent, sed & Principes ac Doctores vehementer urgerent.

Hinc in *Codicibus MSctis antiquis*, ætatem Constantiensis Concilii attingentibus, variæ anonymorum hujus argumenti acerbiores etiam *querelæ* notantur. Quas omnes hic referre ac enumerare esset ingentes cumulare montes, nec nobis volupe est, nec vacat, nec necesse.

Ex pluribus unum nunc suffecerit exemplum, in *MSCto Codice* perantiquo *Lipsiensis Academiæ* obvium. *Passio in Romana curia secundum aurum & argentum. In illo turbine dixit Dominus Papa Cardinalibus suis: Quando venit filius hominis ad sedem majestatis vestræ, dicite ei: Amice ad quid venisti? At ille diu morans & nihil dans: Ejicite eum foras ad tenebras exteriores. Cardinales verò dixerunt: Domine quid faciamus, ut pecuniam possideamus? Dominus Papa verò dixit: Quomodo legitis? Nonne scriptum est, Diliges aurum & argentum ex toto corde tuo & divitem sicut te ipsum? Et hoc facite in meam commemorationem, & vivetis in æternum. Tunc venit pauper clericus ad curiam Romanam, qui oppressus erat ab episcopo suo, & clamavit voce magna, dicens: Miseremini mei, miseremini saltem vos Ostiarii Domini Papæ, quia paupertatis onus tetigit me, peto, ut subveniatis paupertati meæ, & miseremini. At illi dixerunt: Quid ad nos, paupertas tua sit tecum in perditionem. Tunc verò pauper clericus ivit ad forum & vendidit tunicam, pellicium, pallium,*

*gladium & capucium. Primo dedit Cardinalibus, secundo ministris, tertio vero Ostiariis. At illi dixerunt; Et quid hæc inter tantos? Et ejecerunt eum foras. Et flevit amare. Dominus Papa verò dixit: Non introibis gaudium Domini tui, donec reddideris ultimum quadrantem. Post multum verò temporis venit dives episcopus, impinguatus, incrassatus, dilatatus, qui homicidium fecerat, & cum eo turba multa. Cardinales verò audientes, quod Episcopus venerat, occurrerunt ei, dicentes & clamantes: Advenisti desiderabilis, quem expectabamus in bursis nostris. Tunc Episcopus misit eis copiam auri & argenti. At illi dixerunt: Hic homo justus & sanctus est, non sicut ceteri qui spem non habent. Dominus Papa verò dixit: Amice ascende superius, & erit tibi triplo melius. Et sic salvatus est homo in die illo. Unde erunt divites primi, & pauperes novissimi. Quia quantum habes tantum vales. Et si nihil habueris, in gaudium hujusmodi non intrabis.* Subscriptum nomen *Jo. Franck*, quisquis demum ille, sive autor sive librarius.

Ex quo à variis vario modo picto nimio tunc Curialium ac clericorum excessu natum erat illud quorundam in Constantiensi Concilio consilium vel & desiderium, Cardinalium statum plane esse eliminandum. Quod Petrus de Alliaco in *Canonibus Reformationis* supra *Parte VIII.* diserte rejecit ac refutavit, *abusumque tollendum* dixit, *non statum.* Sic enim facile excessus delicti excessum pariat judicii aut censuræ.

Sicuti ejus erat indolis ac conditionis vehemens illa pro emendatione Ecclesiæ medicina, *Johannis Dorre*, viri eruditi, Licentiati, Presbyteri, in concilio præsentis, in alio *MScto codice*, in Concilio ab illo scripto, notata: *Receptum pro Stomacho Sancti Petri & reformatione totali ejusdem, datum in Concilio Constantiensi. Recipe XXIV Cardinales, centum Archi-Episcopos & Prælatos, totidem de qualibet natione, & de Curialibus quantum habere potes. Immergantur in aqua Rheni, & ibidem submersi per triduum maneant. Eritque bonum pro stomacho Sancti Petri & totali ejus corruptione removenda.*

Magna profecto quorundam in Concilio hoc Oecumenico dicendi licentia, quam non dederit sed extorserit zelus ex nimia illius temporis corruptione.

Quod in excedente morbo Ecclesiæ excedens remedium & *cardinali Alliaco* haud placuisse jam ante monitum, cui inciderat illud Poëtæ: *Sit modus in rebus, sint certi denique fines.*

Sed ad *Anglos* fatorum illius temporis nuncios redeundum. GUALTHERUS DYSSE, Anglus, Carmelita Theologus, sub Bonifacio IX, Simoniæ exercendæ Magistro, clarus, ab eodem Pontifice in Aquitaniam, Hispaniam, Lusitaniam, missus, memorante *Antonio Possevino*, ut crucem adversus infideles prædicaret, qui & Wiclefitas scriptis impugnavit, adeoque sedulus fuit curiæ Romassecla, non potuit causam dissidiorum ac corruptionis Ecclesiasticæ silentio præterire, & ad seriam emendationem anhelare. Quare

Poëta

Poëta non infelix rythmis miseriam illius temporis inclusit, ac *de Schismate Ecclesiæ* inscripsit. Ex vetusto codice membranaceo Bibliothecæ *Balthasaris Lydii* eruit frater ejus *Johannes Martinus Lydius*, ac operibus Nicolai de Clemangiis attexuit.

Dummodo hoc opusculum huic *Gualtero Dysse* debeatur, & conjectura Lydiana sit justa, cum absque titulo invenerit, imo ab aliis *Hildeberto Episcopo Cenomanensi* tribui ipse non celet. Scripsisse quidem hunc *Gualtherum Dysse* librum *de Schismate Ecclesiæ* memorant *Gesnerus* ac *Possevinus*. An autem ille sit, quem metricum dedit *Lydius*, dispicere non vacat. Adscribit eidem huic *Anglo* Carmelitæ Theologo *Lydius* alios etiam rythmos, ex antiquo codice à Flacio depromptos, & anno 1555. in Antilogiam p. 408 relatos, indeque à Lydio repetitos, in Simoniacum Curialem Romanum *Le Franco* ante Concilium Constantiense compositos. Cui legere volupe est, *Lydium* inspiciat licet.

RICHARDUS ULLERSTON, Anglus, succedit, qui teste *Warthono in Append. Histor. Liter. cave f.* 86. in Ducatu Lancastrensi natus, Theologiæ apud Oxonienses Professor, familiaris Roberto (Ruperto) Halamo Episcopo Sarisburiensi. Quem *Ruperum* cur *VWarthonus Ecclesiæ Ro. Cardinalem* appellet, nos fugit. Sane, cum Concilio Pisano & Constantiensi interfuerit, *Cardinalium* numero nunquam accensitus, nec ab *Ulricho Reichenthal*, nec *Gebhardo Dacherio*, Concilii spectatoribus ac fidelibus historicis, illis annumeratus. Nec ab *Anonymo*, accuratissimoque omnium in Concilio Constantiensi præsentium Virorum illustrium *collectore* in CODICE MSCto AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ in Cardinalium classem relatus, quin in *Archi Episcoporum* censum constanter computatus.

Ab hoc igitur Archi-Episcopo Sarisburiensi, qui, cum Pisano ac Constantiensi Conciliis interfuisset, in hoc posteriori diem obiit, Constantiæ sepultus, ab hoc, inquam Patrono suo, Archi-Episcopo, circa Pisani Concilii tempora excitatus fertur *Richardus hic Ullerstonus*, Theologus Oxoniensis, qui *de Reformatione Ecclesiæ Opus* consignaret. Summa fide ac prudentia provinciam hanc sibi demandatam Richardum obiisse ait Warthonus, utpote haud vulgariter literatum & ingenti disciplinæ Ecclesiasticæ denuo instaurandæ desiderio tactum. Laudatum hoc opus *MSCtum*, quod inscripserit *Petitiones Richardi quoad Reformationem Ecclesiæ militantis*, spectari *cantabrigiæ in Bibliotheca S. Trinitatis in fol.* observat *VWarthonus*, insigniq; mactat elogio, *dignissimum* appellans, *quod lucem aliquando videat, præsertim cum inter tot istius ævi de corrupto Ecclesiæ statu tractatus, nullus adhuc in lucem prodierit ab Anglo conscriptus autore, nisi quem Adversarii hæreticum fuisse clament.*

Optaveramus quidem, nostris committi manibus & hoc *MSCtum*, quod ornatum huic insereremus Tomo, superioribus Germanorum ac Gallorum monumentis associandum: Verum loci distantia voti hactenus compotes nos fieri non sivit. Quod si verò *hoc præclaro*

*munere* nos tandem beari contigerit, commodo alio hujus operis Tomo decenter comtum Ullerstonium, Angliæ literatæ decus, publico eruditorum conspectui exhibebimus.

Interea genii hujus Anglici sinceri sed & religionis sinceræ amantissimi qui vestigia cognoscere discupit, huic paucula *ex MSCto opere Excerpta* dedit *VVarthonus*, *f.* 86. In his articuli sunt ab Ullerstono toto opere explicati sequentes: *De summi Pontificis ordinata electione: De Simoniæ declinatione: De legis Christi exaltatione: Contra enormalem Ecclesiarum appropriationem: Pro idoneorum perfectione: Contra exemtiones; Contra dispensationes: Contra beneficiorum pluralitates: Contra appellationes: Contra privilegiorum abusiones: Contra Apostasiam Clericorum sese secularibus negotiis immiscentium: Contra Prærogativam Cantorum* (forte Canonicorum) *& officialium in curiis Dominorum residentium: Contra extorsiones universaliter: Contra superfluum & nimis sumptuosum & inordinatum apparatum in Clericis & eorum familia: Pro cultu divino fructuosius ampliando: Pro pace denique inter regna Christiana summo opere procuranda.*

Addi his poterit THOMAS NETTERUS, *VValdensis Anglus*, Carmelita Theologus, qui Pisano ac *Constantiensi Concilio interfuit*, acer Wiclefitarum impugnator, tantoque sincerior corruptionis Ecclesiasticæ sui temporis censor, quanto minus in Hussitas affectu vel imbutus vel eo pellectus.

Ceterum, *Ullerstono*, *Anglo*, quem præcipue integrum hic sistere ac lateri Gallorum atque Germanorum in hoc negotio antiquo jungere animus erat, *absente*, obiter hos antiquorum illorum Ecclesiæ fatorum *testes Anglos* indigitasse suffecerit.

Ad *Italos* itaque transimus. In quibus summo jure principem sibi vindicat locum FRANCISCUS de ZABARELLIS, JCtus ingeniosissimus, FLORENTINUS CARDINALIS eminentissimus. Qui aliis & *de Schismate* istius temporis componendo operibus inclaruit, in Concilio Constantiensi magno studio *Emendationem quoque Ecclesiæ* quæsivit, maculis notatis, remediisque aptis designatis.

*Johannes Franciscus Poggius Florentinus, excellens in Concilio Constantiensi orator*, hujus Cardinalis ingenium, voluntatem, studium, in confusis illa ætate Ecclesiæ rebus Concilii Constantiensis ope ordinandis atque solerter emendandis, prædicare satis non potest.

Memorat *Poggius*, in Oratione funebri, quam defuncto huic in Concilio Cardinali anno 1417. habuit, hunc *Cardinalem Florentinum* in legatione Papæ Johannis 23. ad Imperatorem Sigismundum effecisse præcipue, ut Concilio Oecumenico assignaretur *Constantia Germaniæ*. Inque illo tandem coacto hunc *Zabarellam Cardinalem* os prope Concilii perpetuum fuisse, quippe qui difficillimis quibuscunque negotiis & explicandis & expediendis adhiberetur, *Consilia* hujus fuisse pro oraculis & *vota* ejus pro regulis.

O utinam verò in manibus nostris jam esset hujus eminentissimi



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mi *cardinalis Zabarellæ Opus*, *Acta in Conciliis Pisano ac Constantiensi* complectens. Quod *MSCtum* ex *Thomasino* memorat *VVarthon*, *in App. Hist. Lit. Cave*, *f.* 74. Foret hoc illustre Cardinalis hujus opus historicum hujus nostri operis decus & lumen clarissimum. Ingenium namque Viri acutissimum, juris doctrina incomparabilis, scribendi usus expeditissimus, judicii æquitas singularis, voluntatis bonitas excellens, experientia denique in ipsis his duorum Conciliorum negotiis exactissima, utpote quorum nobilis pars eminuit, spondent Actorum illorum maximam ἀκρίβειαν, diligentissimam circumstantiarum curam, & reconditarum causarum solertissimum scrutamen.

Quid si in *Germania* adhuc alicubi in illustribus ac numerosis Bibliothecis, vel & obscuris ædium sacrarum angulis, Bibliothecarum veterum reliquiis, ruderibus confusis, lacerarum chartarum cumulis, scriniisq; squalore obsitis tineisque sacris, delitescat?

Magna hujus temporis eruditorum solertia, cui nil videtur nunc manere reclusum, nil sepultum, nil ambesum, quod non eruat, resuscitet, ac ab interitu vindicet, incidet forte & in hunc *Zabarellæ* thesaurum.

Quemadmodum ipse his diebus præter omnem spem atque opinionem incidi in varia *diplomata* antiqua *Bonifacii IX. Johannis* 23. *Martini V. Eugenii IV. concilii Basileensis*, similiaque, cum suis Pontificum dictorum vel Concilii laudati *Sigillis*, nec spernenda alia antiqua *MSCta* monumenta. In quibus sunt *Bernhardi Alamandi Episcopi Condomiensis* in Gallia opuscula haud exigua nec vulgaria *de unione Ecclesiæ*, *tempore Schismatis* circa annum 1396 scripta. Quæ omnia in angello delituerant domus viduatæ ac novo hero nuper instructæ, peritura prorsus aut bibliopegis committenda, nisi æquo pretio redimendi matura mihi fuisset oblata occasio.

Quod si tam fortunatus quis fuerit, ut & has in pulvere *Zabarellianas opes* reperiat, hanc erudite orbi gratiam faciet, ut benevole communicet.

Si autem & hic *Zabarellianus thesaurus* perierit cum aliis innumeris MSCtis omni pretio majoribus, in claustris olim Germanorum ædiumque sacrarum forulis passim reconditis, sed temporis, bellorum, ignorantium virorum, honestorum furum, vel & ineptorum puerorum membranis ludentium injuriâ absumtis, laceratis ac perditis: *VVallenrodianam concilii Constantiensis historiam* & hæc *Zabarelliana Acta Concilii Constantiensis*, simul deplorabimus: Donec sub alio forte cœlo cum Wallenrodio Zabarella resurgat.

Quid si tamen ea jam nobis contigerit *felicitas*, ut, si non totum illud *Zabarellianum Actorum Opus*, aliquas tamen partes eo spectantes in *MSCtis* nobis oblatis jam deprehenderimus?

Sane in *Codice MSCto antiquissimo*, Concilii Constantiensis ætatem attingente, in AUGUSTISSIMA BIBLIOTHECA CÆSA-

REA VINDOBONENSI hactenus curate servato, reperimus in principio Concilii Constantiensis scriptum hoc monumentum: TRACTATUS AGENDORUM IN CONCILIO GENERALI CONSTANTIENSI. Autor quidem nullus notatus, quod infortunium pleraque antiqua MSCta premit: Nihilominus ex ipso opere abunde videtur patere, *eminentem* fuisse *autorem*, eumque *Cardinalem*. Siquidem, quando de curia Ro. sermo est, vel de Cardinalibus, ordinarie adhibet pronomen *nos*, *nobis*, collegiumque Cardinalium absolute appellat *Collegium*, pro stylo curiæ.

In *Cardinalium* verò cœtu, quem illa ætate Rom. curia sub Johanne XXIII. colebat, dum calamum qvæsivimus, cui laudatum opusculum acceptum ferremus, non sine causa visi sumus in ZABARELLÆ CARDINALIS *museum* deducti. Hunc JCtum excellentissimum fuisse memores, hunc Concilii negotia præcipua tractasse, ac emendationem Ecclesiæ sollicite quæsivisse conscii, hunc conscribendis, enunciandis, declarandis præcipuis momentis excelluisse convicti, *huic* EMINENTISSIMO AUTORI hoc *de Reformatione Ecclesiæ Constantiæ tractanda* opus reddendum esse conjecimus. Cardinalis sane fuit, JCtus audiit, scriptis inclaruit, Constantiensi Concilio consuluit. Quæ omnes notæ in hoc opere manifeste sese produnt.

Conjecturam hanc nostram vel confirmabunt vel emendabunt, qui in laudatum *Zabarellianum opus integrum MSCtum* aliquando incident.

Celare in fronte hujus nostræ recensionis nefas putavimus, quem operis *Autorem* judicaremus, qui aliis curatius & felicius scrutamen lubentissime indulgemus. Si non nostra, serior forte ætas inveniet, quod hactenus delitescit. Uti hæc ætas millena alia reperit, quæ majores dudum periisse autumaverant, aut non sine formidine prodiderant.

De cetero in laudatissimo MSCto VINDOBONENSI Indiculus opusculo huic est præmissus, qui summa capita vel argumenta exhibeat, ab ipso utique autore consignata, hoc tenore atque ordine:

## Capitula tractatus agendorum in Concilio Generali Constantiensi.

*DE fide Catholica & hæresibus.*
*De præsenti schismate tollendo.*
*De provisione adversus futura schismata, ne eveniant, & de remedio adversus illa, si eveniant.*

*De cul-*

*De cultu Dei & officio Ecclesiastico.*
*De statu & potestate Romani Pontificis, & electione.*
*De statu & officio Cardinalium, & illorum assumtione.*
*De statu Romanæ curiæ.*
*De toto Statu Ecclesiastico in genere.*
*De Prælatis & clericis ordinandis & præficiendis.*
*De beneficiis conferendis, & de pluralitate beneficiorum.*
*Quod prælati & beneficiati resideant, & sua officia exequantur, & de dispositione super præmissis.*
*De vita & honestate clericorum & religiosorum, & de illorum excessibus corrigendis.*
*De visitationibus.*
*De exemtionibus.*
*De Synodis generalibus, provincialibus, diœcesanis, & religiosorum.*
*De censuris Ecclesiasticis, & de irregularitate.*
*De foro pœnitentiæ & casibus reservatis.*
*De Ecclesiastica jurisdictione, & exactionibus, atque abusionibus, quæ per illa fiunt, præsertim in Francia.*
*De litibus breviandis, & locorum distantia.*
*De quorumlibet dubiis & in Jure & in Theologia decidendis.*
*De unione Græcorum.*
*Quod in cathedralibus Ecclesiis sint præbendarii Doctorales Theologiæ, juris & alterius facultatis, juxta numerum præbendarum.*
*Et quod Doctores præbendati resideant & legant.*
*De vacantiis prælaturarum & beneficiorum, & de impositione decimarum, & taxatione fructuum, & aliis etiam non concedendis rebus.*
*De patrimonio Ecclesiæ Romanæ.*
*De rebus & immunitatibus Ecclesiarum.*

Capita hæc sunt tractationis Conciliaris, indice *MScto* laudato. Neque verò in ipso Opere, quo explicata illa momenta rerum in Concilio tractandarum, Autor eundem servavit ordinem, quem nonnihil mutavit. Ita quidem, ut nonnulla vel brevibus exposita, vel indirecte indigitata solùm appareant. Neque enim ausimus affirmare, Autorem non absolvisse opus, vel librarium describendo non confecisse.

Fruetur hæc *ætas nostra* his aureolis.

*Poste-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*Posteritas* quoque nostrum agnoscet studium, pondusque rebus addet tum ex suo fructu hinc deprompto, tum similibus MSCtis è tenebris erutis, atque ut lucem ferre possint, diligenter instructis, ac nostris his annumeratis.

Ne quid vero præterea omitteremus, quod ad celsi hujus nobis visi autoris commendationem pertineret, quod & Concilii Constantiensis res luculentius & hac in parte illustraret: Calci operis hujus adjicere libuit *geminam* præclaram Illustrium Autorum *Orationem*, *in Concilio Constantiensi* in funere hujus nostri Cardinalis *publice habitam*, illustres sane ac vivas *virtutis Zabarellianæ* in Concilio Constantiensi enitentis *ideas.*

ANO-

# FRANCISCI de ZABARELLIS
Cardinalis Florentini,
In Concilio Constantiensi effulgentis,

# CAPITA AGENDORUM
## IN CONCILIO GENERALI CONSTANTIENSI
## *DE REFORMATIONE ECCLESIÆ.*

*Ex antiquissimo Codice MSCto*
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.

## CAP. I.
## *De Fide Catholica & hæresibus.*

*Negotia fidei in Concilio Const. tractanda. De Hussi controversia agendum in Concilio Const. Gersonis Compendiũ Theologiæ Concilio Const. commendatum.*

PRimum agendum in Concilio erit *de fide*, ut extirpentur errores, si qui pullulant. Et sic videbuntur quomodolibet, quæ sunt inter *Magistros Pragenses*, de erroribus & hæresibus *Johannis Wicleff*, quæ multum pullulant ad præsens.

Item offeratur dicto concilio *tractatulus* quidam, *compositus per Cancellarium Parisiensem*, tractans de generalibus principiis nostræ fidei, per facultatem Theologiæ prius tamen examinandus, &, si opus fuerit, corrigendus, addendo & diminuendo &c. Ut singulis metropolitanis, & Episcopis consequenter, servandorum in fide series verbis & scriptis fidelius publicetur.

Et hoc expedit, imò necessarium est. Nam *in multis locis & diœcesibus quasi sine numero plurimi reperiuntur, qui vix de Deo aliquid intelligunt*, aut de articulis necessariis ad salutem.

*Ignorantia doctrinæ Christianæ notata.*

Imo videtur, quod dictus *tractatus* correctus & examinatus, cum aliis ordinandis in forma, singulis Ordinariis locorum quorumlibet dirigi debeat in forma, ut in doctrina ejusdem inferiores dictorum Ordinariorum subditi instruantur.

*Gersonianum Theologiæ compendiũ in Ecclesias introducendum.*

## CAP. II.
## *De quorumlibet dubiis in Theologia & in jure decidendis.*

*Doctrinæ Academiarum repurgandæ in Concil. Const. Jus Canonicũ exigendum. Jus civile reformandum.*

CONstituantur *in concilio* aliquæ *positiones*, quæ respondeant *libris sacræ paginæ & juris*, quibus Studia utuntur, & determinent dubia in eisdem reperta.

Revideanturque *Extravagantes*, conditæ à tempore Viennensis Concilii.

Item *decisiones rotæ* videantur, &, si opus fuerit, *reformentur*. Vel etiam de novo fiant *constitutiones* concludendi & *decidendi*. Et inter opiniones universas definiatur, quæ fuerit tenenda.

Item, quod ex nunc per *facultatem Theologicam* quatuor eligantur *nominales Doctores*, qui usque ad *generale Concilium* diligenter omnia puncta, fidem & mores concernentia, *in libris Doctorum Theologiæ* contenta, pervideant, punctaque tenenda, in quibus controversiæ vertuntur opinionum, discutiant & determinent. Et hoc maxime convenit. Quia *in simplicibus* magna oritur indispositio, imo & *in literatis*, ex hujusmodi *discordia opinionum*.

*Controversiæ Theologorum examinandæ & componendæ in Concilio Const.*

# Cap. III.

## *De unione & reductione Græcorum detur modus.*

*De Ecclesia Græcorũ ac Latinorum redunien-*

ITem, quod *certi* eligantur *deputati*, qui modos & vias, ut *unio Græcorum cum Latinis* haberi possit, inveniant. Et per eosdem *in concilio* aperiantur.

*da cogitãdum in Concilio Const.*

# Cap. IV.

## *De præsenti schismate: Et de provisione adversus futura, ne similia eveniant: Et de remediis eorundem.*

*Schismata Paparũ tollenda in Concilio Const.*

CUm *à capite edenda* sit *ratio*, videndum est primo, si *in papatu* factum fuerit *schisma*, quod statim tollatur.

*De electione Papæ.*

Item, quam cito *Papa* electus fuerit *intronisatus*, quod Cardinales non possint procedere ad aliam electionem.

*Cardinales posse Conciliũ congregare.*

Item quod possint ad locum tutum reducere, & *concilium congregare*, ubi de hoc erit determinandum.

*De irrita Papæ electione.*

Item constituatur, quod *electio Papæ facta in metu*, quæ poterit cadere in constantes, sit ipso jure nulla.

*Custos cõclavis in electione Papæ quis esse debeat.*

Item, sicut provisum videtur per unam *Constitutionem Gregorii decimi*, *Decretal. VI. lib. I. tit. 6. cap. 3.* ut *ad* electionem Papæ, *in* electione, & *post* eandem, & præcipue, si electio fiat in urbe, ad *custodiam conclavis deputaretur aliquis non Romanus*, & talis, qui sit potens ad coercendum violentias adversantium. Ille autem *custos conclavis* jurabit in manibus collegii, quod fideliter aget incumbentia. Et juret sub periculo animæ suæ, & sub pœnis, de quibus in dicta constitutione Gregoriana.

*Juramẽtum custodis conclavis.*

*Juramentum Cardinalium tempore electionis Papæ.*

Item *Cardinales*, antequam intrent conclave, similiter *jurent*, in manu collegii, seu alicujus Cardinalis recipientis nomine Collegii. In quo juramento asseratur, quod putent, locum tutum esse, & quodsi sentiant aliquid in contrarium, quod illud pandent. Et hoc affirment sub periculo animæ, & sub pœna excommunicationis, & perditionis omnium beneficiorum, etiam Cardinalatus.

*Cardinales posse*

Statuendum, inquam, est: Quodsi contingat fieri *tumultum* vel *metum* manifestum, *Cardinales* sub pœna maledictionis æternæ, & sub aliis pœnis in constitutione exprimendis, *ab electione abstinebunt*. Et quamprimum commode poterunt, cessante periculo vitæ, etiamsi inveniant periculum facultatum, se transferant ad locum tutum, in quo *tuto* & *libere* possit electio celebrari.

*differre electionẽ Papæ.*

*Pœnæ tumultuantium in electione Papæ.*

Ipsi autem *coincitantes tumultum*, vel *incutientes metum*, incidant in pœnas excommunicationis, anathematis, & alias gravissimas pœnas in hujusmodi constitutione exprimendas. *Civitas* vero, *ubi hæc perpetrata* fuerint, per quinquaginta annos ipso jure sit *inhabilis ad faciendam electionem Papæ*. Et addantur etiam aliæ pœnæ ultra expressas in constitutione *Decretal. VI. l. 1. tit. 6. c. 3.*

*Papa intrusus*

Quantum autem ad *tempus post electionem*, disponendum videtur, quodsi aliquis fuerit *intrusus*, id est, sine canonica Cardinalium electione invaserit papatum, vel, si etiam per metum manifestum, cadentem in constantem, fuerit electus, teneatur *abstinere ab administratione*, sub pœna maledictionis æternæ, & inhabilitatis ad omnes honores. Et exprimantur pœnæ gravissimæ.

*Abstineat ab administratione.*

*Electio Papæ per metum irrita.*

Item, fuit hactenus in disputatione versatum, an *electio Papæ per metum* manifeste facta sit *ipso jure nulla*. Et pro tali habeatur ab omnibus, nec possit per approbationem Cardinalium & omnium sequentem approbari, sed oporteat de novo electio fieri, servato ordine conclavis.

*Machinis Papæ intrusi obviam eundum.*

Præterea, quia *multæ sunt viæ ad machinandum*, & ne prætensus intrusus possit apud Christianos fraudes machinari,

nari, vel fatendo, quod Cardinales ad ejus electionem per metum accesserint, vel ejus intentioni contradixerint: Aliter scribatur Prælatis, Principibus & Comitibus, qualiter se habeat veritas. Vel aliquid aliud ordinando, in sublevationem veritatis, videtur ordinandum, quod, si electio facta fuerit in urbe, vel alia terra, quæ sit de temporali jurisdictione Romanæ Ecclesiæ, & in qua prætensus electus seu intrusus habeat temporalem potestatem, teneatur ipse, scilicet electus seu intrusus, infra certum terminum, puta duorum mensium à die inthronisationis, mittere *Cardinales ad locum, in quo ipse*, vel sui fautores vel complices *nullam habeant temporalem potestatem*, ubi teneantur sub juramento affirmare, an electio fuerit canonica, an non. Et de hoc conficiantur publica documenta, prælatis & Principibus, & toti mundo intimanda. Ita, ut mundo possit fieri clara fides, an ille sit canonice electus vel non canonice.

Ne tamen ipse sic prætensus electus remaneat sine ulla Cardinalium societate, possent cum eo remanere tres viri, unus de quolibet ordine, quos ipsum collegium duxerit eligendos. Vel, si videtur, possit remanere tertia pars Cardinalium vel quarta. Et primis redeuntibus isti etiam mittantur modo prædicto.

*Quando electus Papa cedere debeat.*

Et hoc casu videtur aliquibus, quod, si aliqui ex Cardinalibus dicant de intrusione vel metu, non ex hoc teneatur assertus electus *cedere*, nisi hoc *affirmetur à tribus partibus collegii sub juramento.*

Si autem assertus electus non miserit Cardinales modo prædicto, habeant locum sequentes versiculi.

*Papam electum juramento esse obligandũ.*

Insuper ipse *electus* teneatur in principio assumtionis *facere professionem*, in qua *juret* aliqua ad hoc pertinentia. Et quæ, constituentur.

Et *nisi juret, sit inhabilis ad administrationem*: Et teneantur omnes sub pœnis gravissimis exprimendis subtrahere ei obedientiam.

Et idem fiet, quantumcunque postea constiterit, quod in aliquo degeneret à tali juramento. Nec ipse nec ejus commissarius vel alius possit eum absolvere, nisi in mortis articulo, sed solum *concilium generale.*

*Quis absolvat Papam, si à suo juramento declinet.*

Item, *talem provisionem* teneatur infra annum *intimare omnibus Catholicis*, sub pœna privationis. Ita ut si non fecerit, subtrahatur illi obedientia.

Item, *ne contingat* aliquo electo vel se intrudente *schisma*, si alius se intruderet, vel si Cardinales alium eligerent, statuatur: Quod tali *secundo intruso vel electo* nullus obediat, ne habeant eum pro Papa, sub pœnis gravissimis exprimendis, si primò determinetur de primo intruso, seu, ut prædicitur, per metum electo.

Præterea, quia speratur, quod, si quæ inconvenientia contingat in prædictis, possit convenienter sedari *in concilio generali*: Et quia etiam conveniens est, ut *quilibet Romanus Pontifex saltem semel teneat* ipsum *Concilium, ubi tractatur de reformatione Ecclesiæ & omnium catholicorum in capite & in membris*: Ordinetur, cum primo quis fuerit electus, sive canonice, sive non, *de loco non subdito ipsi electo* ratione temporalis jurisdictionis, & *constituatur de loco concilii* pro futuro Pontifice. Et in illo concilio statuatur *de loco alterius concilii.* Et sic successive.

*Quilibet Pontifex Romanus celebret Concilium Generale.*

*In Concilio generali agendũ de reformatione de futuro novo Concilio semper dispiciendum.*

Ad quod concilium teneatur etiam *Imperator* interesse, tanquam *defensor Ecclesiæ.* Nec excusetur, nisi ob gravem infirmitatem, vel metum morborum propter viarum discrimina. Et tunc mittat solutiores oratores.

*Imperator interfit concilio generali, Principũ præsentia in Concilio.*

De cæteris *Principibus* cogitetur, quid ordinandum sit.

Si contingat, ut *pendente vacatione* patus fiat *tumultus* vel *metus*, & hæc fiant, ut Cardinales moveantur ad eligendum aliquem in Papam, vel de loco, electio sit ipso jure nulla, & pro tali habeatur; Ne possit, postquam Cardinales egressi fuerint conclave, per sequentem consessum Cardinalium, etiam omnium, approbari: Sed *oporteat, de novo electionem fieri*, cessante tumultu & metu, & servato ordine conclavis.

Et, ut possit notum esse Catholicis omnibus, an *electio* sit *facta libere*, teneatur electus infra duorum mensium spatium

tium à die electionis *mittere Cardinales omnes ad locum*, ipsi *electo* vel alicui sui fautori vel complici *non subditum*, & manifeste *liberum* & *tutum*. Et ipsi etiam Cardinales sub obtestatione divini judicii ire teneantur, & ibi palam & publice coram tabellione & testibus declarare, an electio fuerit facta canonice, & sine tumultu & metu, an contra. Et de hoc conficiantur publica documenta. Et nisi electus hoc observaverit, lapsis duobus mensibus, non habeatur amplius Papa, & Cardinales libere possint alium eligere.

*In Concilio Constantiensi pax Ecclesiastica reformāda.*

Item aperiendi essent modi rationabiles, quibus *præsens schisma* posset salubriter & convenientius terminari, & *pax Ecclesiastica reformari.*

*Contra schismata Paparū in Concilio generali providendū.*

Item sanctorum Patrum sequenda vestigia, qui contra præcedentis Ecclesiæ schismata *in conciliis generalibus* futura remedia præviderunt, ne similia ulterius orirentur.

*Origo schismatis quærenda, origo dissidiorum tollenda.*

Essent primo considerandæ *principales radices & occasiones præsentis schismatis*, ex quibus, & tamdiu proh dolor! firmatum, ut nullum aliud simile fuisse legatur.

*Causæ tres schismatis Papalis ante Conciliū Constant.*

Item, ut *tanti mali radices* exstirparentur, essent contra eas, & earum *radices* ac *occasiones*, convenientia remedia statuenda.

Ponamus ergo, exempli gratia, quod *tres* fuerint *radicales hujus schismatis causæ.* Prima, *Romanorum seditiosus tumultus*, secunda, Dominorum tunc *Cardinalium* longa, dissimulata, tardaque allegatio sui *metus*; Tertia, *ambitio papatus*, quia natio urbis (Avinion) diu papatum tenuerat, alia vero contra cupiebat Papam habere Romanum vel saltem Italicum.

*Tria remedia opposita.*

Contra hæc igitur his modis aut aliis *conventionibus* providendum esse videtur.

*Sedes Papatuta sit.*

Contra primum, quod de cætero nullibi Romana curia resideret, nisi ubi esset locus tutus pro habitatione Papæ & Cardinalium, ac pro electione futuri summi Pontificis à tumultu populari securus.

*Metu exceptio in electione Papæ non valeat.*

Contra secundum, quod non liceat in electione, de summo Pontifice facta, *metus exceptionem* aliquatenus allegare.

*Cardinales nō sint ex una natione.*

Contra tertium, quod amplius *de uno regno vel natione vel provincia non fiant tot Cardinales*, ut possint in electione Papæ per pluralitatem vocum principatum ad libitum obtinere, *sanctuarium* quasi *hæreditarie possidere.* Sed *de omni natione* absque personarum acceptione fiat electio.

*Ex omni natione eligendi Cardinales.*

Item, quod propter peccata nostra timendum est hoc schisma in pertinaci obscuratione durasse, aliaque multa processisse scandala: Ideo expediret, *Romanam Ecclesiam*, quæ caput est, omni *se prius in justitia & moribus formare*, ac deinde *ad reformationem cæterorum membrorum procedere.*

*Romanæ Ecclesiæ mores prio reformandi.*

*Præmissa Ecclesiæ Ro. reformatione, reliquarū Ecclesiarū reformatio rectius urgetur in Concilio.*

Item *hac reformatione præmissa*, Romana Ecclesia sacrumque concilium efficacius poterit exhortari Reges & Principes seculares ad *debitam reformationem*, & præcipue ad concordiam & pacem, cum ex eorum guerris & contentionibus jam vera Christianitas afflicta sit.

*Expeditio in Palæstinam commendata.*

Item, sicut aliàs factum in quodam concilio Lugdunensi, ita & nunc videtur ordinandum unum *generale passagium transmarinum*, non solum in subsidium terræ sanctæ, sed & etiam ad reductionem Græcorum & aliorum schismaticorum.

Ac per hoc verosimiliter sperandum esset, facilius principes induci posse ad pacem inter eos reformandam, vel saltem ad longævam treugam. Quod esset privilegium ad infidelium desolationem, & exaltationem fidelium.

*Ante Conciliū Generale Cōmissarii statuendi, qui articulos reformationis forment.*

Item *super* præmissis, aliisque *reformationem Ecclesiæ concernentibus*, *ante celebrationem concilii expediret* à sede Apostolica *certos commissarios deputari*, qui examinata & diligenter discussa materia tradendorum, per eos digesta referrent, priusquam venirent in publicum, & maturius è generalis Sacri autoritate Concilii omnia concluderentur.

CAP.

## CAPUT V.

## *De cultu Dei & officio Ecclesiastico.*

*Sacra publica ne sint nimis longa in templis, providendum in Concilio Const. Sacra fiant legitime.*

DE *breviando officium Ecclesiasticum*, si videbitur, pro studentibus vel legentibus, vel itinerantibus, vel laborantibus pro republica Ecclesiastica: Quod *officium ecclesiasticum*, in singulis maxime cathedralibus, fiat *debitis horis*, cum *debita* & expausata *modulatione*, & in convenientibus vestibus secundum consuetudinem Ecclesiasticorum. Et serventur.

Item circa *festa*, quæ apud multos *plura* servantur, *quam expedit reipublicæ*, & pauperibus artificibus, & agricolis: Imo dant malas occasiones peccandi per otium: Quia tunc juvenes nihil aliud faciunt, quam vacare lasciviis, tabernis, lupanaribus, aliisque illicitis.

*Festa esse plura quā rei publicæ expedit.*

Item videtur, quantum ad populum sufficere servare *festa*, quæ sunt *in jure scripta*, & illorum celebrationem generalem constringere ad principalem Ecclesiam diœcesanam, & ad festum Ecclesiæ.

*Festorum numerus minuendus.*

## CAPUT VI.

## *De statu & Potestate Romani Pontificis, & illius electione.*

*Pontifices aliqui nimia administrādi libertate usi.*

QUia visum est, *ex libertate immodica administrandi, qua usi sunt Romani Pontifices*, mala multa pullulare, fiat certa professio & *juramentum*. Ut olim fiebat, ut patet in *professione Bonifacii IIX.* De quo constat. Et addantur, quæ visa fuerint Cardinalibus, vel duobus Cardinalibus. Et hanc professionem & *juramentum* assumtus in Papam teneatur *præstare*. Et in eo contineantur illa, quæ videntur gravia, quæ juret facere vel omittere, prout fuerint *facienda* vel *omittenda*. Et si facienda, juret *non facere sine Cardinalibus*.

*Iuramento cōstringendo novus Papa.*

*Papa nil faciat sine consensu Cardinalium.*

Et ordinetur *de modo faciendi*. Ut talibus consenserint, vel per subscriptiones priorum trium Collegii, scilicet per Episcopos, presbyteros, & diaconos, vel per alium modum. Ita, ut in his credatur assertioni Papæ dicentis: *Cum consilio fratrum*, & de gravibus exemplis, scilicet in his quæ concernunt fidem.

*Papa agat cum consilio Cardinalium.*

Item in concedendis privilegiis exemtionum, in alienationibus rerum immobilium, vel mobilium pretiosorum, in creationibus Cardinalium, in depositionibus eorum, vel alicujus ipsorum: *Quæ non faciat, nisi in concilio generali.*

*Multa à Papa non facienda nisi in Concil. gener.*

Item *de convocando Concilio generali, saltem semel infra decennium.*

*Convocet Papa concilium generale singulis decenniis.*

Et de concilio statuatur *locus de futuro concilio, ne Papa possit locum mutare.*

*Loco concilii per Papam nō mutando.*

Item, si contingat, quod aliqui Cardinales se opponerent electioni Papæ, ita, ut cum Papa remaneant minus quam duæ partes: Teneatur electus *intra annum celebrare concilium in loco, qui fuerit statutus in præcedenti concilio.* Et, si non esset statutum, *in locō non suspecto, & in quo nullam habeat temporalem potestatem, ut ibi de electione libere judicetur.*

Item *de non privando* aliquem *prælatum, nisi citatum*, convicta culpa in judicio: Nec transferendo invitum.

*Prælati sine causa non temere sede movendi.*

Item de *observandis statutis concilio-rum, maxime hujus.*

*Statuta Concilii Const. servanda.*

Item de faciendis guerris & pacibus, & similibus.

Utile *in hoc* multa talia exprimere: Ita, ut detur causa, ut, *sicuti Papa dicitur sanctissimus, sic sanctissime etiam regat Ecclesiam.*

*S. Papa Sanctum Ecclesiæ regimen.*

# CAPUT VII.

## *De statu & Officio Cardinalium, & illorum assumtione.*

*Electio Papæ sit sincera.*

QVia plurimi interest, quod *sincera & pura mente* per Cardinales eligatur Papa, & *non carnali affectione*: Provideatur de ipsis *Cardinalibus*, ut verosimiliter sperari possit, quod eligatur modo prædicto.

*Cardinales ex variis eligãtur regnis.*

Ubi videtur statuendum, quod, cum *Papa debeat eligi melior & sanctior ex tota congregatione Ecclesiæ*: Ita etiam *assumantur Cardinales* non de singulis locis paucis, sed, si fieri potest, *de quolibet regno* seu regimine. Ita, ut *de una parte mundi non* possint fieri *plures quam duo, vel tres.* Et in hoc aliquantulum honoretur *Roma* cum suo metropolitano, etiam in aliquo majori numero, non tamen excessive.

*Ex unore. gno nõ nisi duo sint aut tres.*

*Romæ aliqua sit prærogativa.*

Ex hoc evitabitur, ut *papatus non fiat hæreditarius uni nationi* sive genti.

*Papatus ne sit hæreditarius uni nationi.*

Item non fiant *nisi docti* in sacris canonibus vel sacra pagina: Nisi forte sint *de maxima stirpe*, aliqui *pauci*, qui maxime possint Ecclesiam juvare. Nec fiat, nisi habita scrutatione de voluntate ipsorum. Ita, ut præsumantur verosimiliter acceptanei, nec minores annis, & nati de legitimo matrimonio.

*Cardinales sint docti. Vel nobiles.*

Provideatur etiam de taxando *numero Cardinalium.* Ita, ut non excedant xxx. Aliis videntur xxiv. instar xxiv. Seniorum.

*Numerus Cardinalium.*

Item, ut habeant reditus taxatos & certos, puta xxiv *millia* pro quolibet.

*Reditus Cardinalium.*

Item, ut habeant *reditu sine scandalo*, id est, *non ex commendis*, per quas Ecclesiæ destruuntur. Ita scilicet deinceps non dentur commendæ beneficiorum. Eas, quas habent, possint tenere licite. Sed videant, ut ista gubernentur, ut juste nemo possit scandalizari.

*Commenda Ecclesiis damnosa.*

Sed aggregentur *reditus titulorum*, & quilibet valeat saltem mille. Et hoc uniendo aliis titulis & aliis beneficiis urbis dictæ Romanæ Ecclesiæ sine scandalo, ac beneficiis diversorum. Vel assignentur etiam *reditus*, supprimendo *in qualibet Ecclesia cathedrali unum beneficium*, & constituendo quamlibet Ecclesiam cathedralem de illorum reditu, secundum facultates beneficii suppressi.

*Titulorũ aureorum augmentum.*

Dicunt etiam, quod bonum esset, *auferre reditus capellæ*, ad evitanda scandala. Et ut Cardinales tantùm sint promti ad consentiendum translationibus prælatorum. Aliàs videtur, quod tales reditus maneant cum limitationibus, scilicet providendo, ut, *si etiam vacet infra triennium*, vel, si videatur, quadriennium vel quinquennium, *non nisi semel exigantur primi fructus.*

*Reditus Capellæ.*

*Primi fructus rario exibis vacet infra triennium, gendi si officiũ sæpio vacet.*

Item *ad solutionem* eorum faciendam asignetur *triennium*, ita ut tertia pars solvatur in fine primi anni, secunda in fine secundi anni, & tertia in fine tertii anni.

*Solutio primorũ fructuum habeat moram.*

Dicunt aliqui, melius esse, *tollere ex toto* istas *vacantias*, quod provideri non posset, ut illa proxime dicta servarentur, si Papa vellet infringere, nisi ex toto servarentur *jura communia*, ut provideretur Ecclesiis, monasteriis & beneficiis ordinaria forma.

*Vacantias esse tollendas.*

Item, quod *singulis titulis Cardinalium* xxiv. ut supra, uniantur *Ecclesiastica beneficia in diversis regionibus, quæ non habeant magnam administrationem, sed magnos proventus*, ut plura talia & sufficientia reperiuntur. Quod *aliquando* Cardinales illa debeant & habeant *visitare.*

*Officia parvi laboris & magni fructus.*

# CAPUT VIII.

## *De Statu Romanæ Curiæ.*

*Officia Ro. curiæ.*

STatuantur *officia Romanæ curiæ* in meritis & qualitatibus personarum. Et sint *officia perpetua*, quæ non possint auferri invitis sine culpa.

Item, quod quilibet teneatur *servare officium suum*, & sic jurare, & ante certos *Ordi-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*Acta Ecclesiæ publica à Cardinali quodam consignanda.*

*Ordinetur inter Cardinales aliquis, qui quæcunq; contingentia*, quæ sunt alicujus ponderis, & quæ cum solis Cardinalibus per Papam geruntur, *redigat in volumina.*

Et *idem* fiat *inter parochianos.* Ita ut fiant *registra autentica* de omnibus, *nec perdatur memoria temporum, quæ quantum sit utilis, omnibus patet.*

*Pastores Ecclesiarũ consignent fata sua Ecclesiæ.*

# CAPUT IX.

## *De toto statu Ecclesiastico in genere.*

*Reformatio totius Ecclesiæ olim necessaria.*

*Difficilis reformatio, ob excessuum multitudinem.*

*Causa corruptionis Ecclesiasticæ quærenda.*

*Si statuta majorum servarentur nõ esset opꝰ reformatione.*

ET qvum *reformatio Ecclesiæ in capite & in membris necessario facienda*, prout *juratum* est *in Pisano concilio*, a quo robur & autoritatem recepit status *noster, difficulter fieri potest* sine magna nota, exprimendo particulariter excessus, qui vix singulariter dearticulari valerent: Videtur expedientius, laudabilius & efficacius, si *generalia transiremus.*

Primum quidem considerandum videtur, quæ sit *causa deformitatis Ecclesiasticæ in capite & in membris?* Unde *vilescat* apud vulgum & tantopere *Roma*, cum omnibus suis suppositis & *ejus curia?* Quare alias & maxime in spiritualibus & temporalibus patiantur opprobrium, vilipendium & jacturam? Quia excedunt exemplum patrum nostrorum, qui *per concilia generalia*, decretales & constitutiones laudabiles, adeo *providerunt*, ut si bene servarentur, tota Ecclesia militans floreret, reformationis non indigeret, & esset in magno potentu.

*Pœnæ statutis addendæ.*

Sed quia *pœnæ sufficientes* non fuerunt adjectæ, nec de *executoribus* sufficienter provisum, ideo omnia dilabuntur, & omnis provincia devastatur, & tendens ad perniciem & ruinam suam perit, Papæ & Prælatorum potestas contemnitur, & bona temporalia, seu reditus per defunctos relicti, destruuntur & funditus evacuantur.

Item, ut *constitutiones Johannis XXII.* circa officia Romanæ curiæ, & alia statuta, quæ scripta sunt, serventur ad unguem.

*Idoneis officia committenda.*

Item, ut nullus habeat officium, nisi sit *idoneus* ad illud exercendum, & in propria persona exerceat.

*Non nimis multos ministros Ro. curiæ esse debere.*

Item, ut non sit tantus numerus *scriptorum & abbreviatorum.* Quia *plures* sunt, qui *nesciunt scribere*, nec *dictare*, sed fiunt solùm ad quæstum.

*Confirmationes officiorũ Ecclesiasticorũ quo modo curare debeat Papa.*

Aliis videtur melius, ut *confirmationes electionum* fiant per ordinationem in forma *juris communis*, ut de patriarchalibus, aut metropolitanis & exemtis Ecclesiis & monasteriis atque locis aliis, per sedem Apostolicam: Hoc etiam per eandem sedem, quando causæ ad illam devolvuntur per *appellationem.* Et ita in totum *servabitur jus commune, & curia Romana satis habebit causas per appellationem.*

*Annatas esse tollendas.*

Item, ut omnino *cessent annatæ.* Quia per illas destruuntur Ecclesiæ & monasteria, & seqvuntur animarum pericula. Quia communiter Prælatus excommunicatur per illas.

*Ob damna.*

*Dispensationes esse restringendas.*

Item, ut provideatur *adversus dispensationes* contra *jura communia*, maxime contra generalia concilia. Item videantur illa omnia, & apponantur pœnæ.

*Simoniæ quoq; pœnæ statuendæ.*

Item circa *electiones factas* provideatur contra violentas impressiones, pacta, preces & *Simonias*, per *pœnas*, graves etiam, molliores aliàs.

*Constitutiones & pœnæ prælegẽdæ in electionibus & collationibꝰ.*

Quæ provisio & pœnæ legantur in singulis electionibus faciendis. Et similiter fiat in collationibus beneficiorum, vel per ordinariam viam. Et ut in quolibet beneficio conferendo, collato vel præsentato, teneantur illa facere legi coram se, *qui confert beneficium*, ut saltem motu pœnæ terreatur ne malè conferat, & *suscipiens*, ne male suscipiat. Etiam legantur electo, quando ei præsentabuntur.

*Abusus potestatis secularis.*

Item *declarentur jura*, circa illa maxime *decretalis lib. 1. tit. 6. cap. 43.* quoad secularis potestatis abusum. Et *pœnæ*, si opus est, augeantur. Etiam extendatur illa constitutio ad preces & cetera illicita.

Item,

*Indigni non ad officio sacra promovendi.*

Item, ut etiam circa *promotiones* & provisiones *de indignis*, fiat juxta *Decretal. lib.1. tit.6. cap.7.*

*Reformationis in Concilio Constant. quæsita commoda.*

Ex hoc seqvuntur *commoda infinita.* Nec juribus Romanæ Ecclesiæ derogatur quando possit dispensare, statuere, & gratias facere, quando sibi videbitur, cum bona deliberatione faciendo.

*Ex reformatione gloria Pontificis.*

*Primum* igitur, licet multi detrahant & obloquantur contra Romanam Ecclesiam & Dominum nostrum, tamen istud daret illi tantam gloriam, ut nullus tantam habuerit à quinquaginta annis ante. Cum non fuerit facta per aliquem tam *notabilis*, *fructuosa*, *efficax reformatio.* Quæ tanto laudabilior & formosior esset, quanto *Ecclesia* nunc est præ cæteris temporibus *deformata.* Nec tunc esset eis onerosa provisio, quæ fieret per statuta dominorum.

*Reformatio efficax inConcilio Const. quæsita.*

*Principes olim id Ecclesiæ præstiterũt, quod Ecclesiastici neglexerũt.*

*Secundum* est, ut illa, quæ cogitant facere Reges, Principes & Prælati, in *nostram* confusionem, & Ecclesiæ Romanæ, & honoris & potestatis ejus, & faciunt finaliter, tam per ordinationem statutorum regiorum, quam conciliorum provincialium, synodalium & capitulorum, *nos* præveniremus, & *nobis* totum ascriberemus ob unitatis gloriam & honorem.

*Ex reformatione ad Ecclesiasticos sacra redirent officia.*

*Tertium*, ut regiones, regna, quæ licet *nobis* obediant verbo, effectu vero nihil, quia Prælati quasi ubique, nisi in regno Franciæ, volunt de omnibus disponere, & vivere sicut Papa, *nobis* tunc obedirent, & cum laude *nostra* venirent ad concilium, ut tenentur de jure; Nec esset dubitandum, quin potius *timerent concilia generalia:* Etiam, si fuerint de septennio in septennium, propter eorum excessus. Et plus timerent illud examen, quam *nos*, quia *jura communia servassemus.*

*Ex reformatione oriturum magnam devotionẽ erga curiam Ro.*

*Veneratio Conciliorum Generalium.*

Item etiam cogerentur celebrare *concilia provincialia*, & capitula generalia, prout jura senserunt, &, si non facerent, punirentur.

*Concilia provincialia celebranda.*

Et de hoc etiam fuit statutum *in concilio Pisano.* Quia omissio istorum est *causa deformationis Ecclesiæ.* In quibus negligentiæ singulorum, etiam Dominorum magnorum insolentiæ & excessus corrigantur, & arceantur à committendis. Maxime si sit provisio, ut in conciliis esset aliquis pro parte Domini nostri Papæ.

*Neglecta concilia provincialia sunt corruptionis causa.*

*Quartum*, quia depressio Romanæ Ecclesiæ & Ecclesiarum particularium causatur etiam *ex defectu* hujusmodi *literatorum*, qui non curant studere, *cum jura non servantur*, etiam per illos, *qui fecerunt canones*, nec per executores eorum, cujusmodi sunt Episcopi. Si verò videantur *jura servari*, omnes cogerentur addiscere & studere, & in consiliis Principum scirent suadere, quæ sit pœna infringere Ecclesiasticas libertates: More vero consiliarii magnificarent & declararent, quanta sit potestas Romani Pontificis, quæ hodie ignoratur, contemnitur, & vilescit.

*Literatorum defectus.*

*Jura servanda.*

*Quintum*, quod Reges & Principes, & eorum curiæ, qui non curant, ignorantiâ censurarum & jurium, infringere Ecclesiasticam libertatem, tunc timerent non *Papam*, nec *collegium*, sed *constitutiones conciliorum generalium & scripta juris communis:* Quia *bene literati* essent *in consiliis Principum*, & scirent suadere quæ sit pœna, infringere Ecclesiasticas libertates. Modò vero consiliarii hujusmodi non sunt ut plurimum literati, & si sunt, ibi laxant multum habenas.

*Consiliarii Principum eruditi.*

*Sextum*, quod *Ordinarii*, qui *sæpe dispensant contra canones*, per importunitatem, corruptionem vel metum, vel *conferunt beneficia minus dignis*, sive dispensant, *excusarentur* apud supplicantes inique & eos quodammodo cogentes.

*Beneficia indignis collata.*

*Septimum*, quia Papa cum collegio, qui coguntur, ad preces principum, quæ viribus æquipollent, facere *promotiones de personis* interdum *minus dignis*, excusarentur apud eos, Deum & homines. Et nihilominus, quia *electiones* examinarentur districtius, & paucæ essent canonicæ: Tunc posset plus, quam nunc & liberalius Papa, cui voluerit, providere. Nec propter hoc ligarentur manus ejus, neque ejus potestas arctaretur, nisi de honestate, quin certo casu & necessitate.

*Octa-*

*Octavum*, quod esset relevatio magna *Domini nostri*, quando dicerentur *jus commune* & *laudabiles consuetudines, servata* in curia tempore Gregorii & Urbani V. Per hoc apparebit, quod vult, quod totus clerus vivat secundum sanctissimas ordinationes, *secundum ordinationes sacrorum conciliorum*, & jurium, quæ in scholis leguntur. Et vitabimus unum magnum inconveniens, & magnam difficultatem. Quia in conciliis non specificabuntur *defectus curiæ*, nec *defectus Prælatorum*, & *clericorum* & *religiosorum*, & *Principum* & *laicorum*. Quæ *omnia indigent reformatione*. Si specificarentur, non esset sine confusione, & scandalo. Providere autem aliter non possent, nisi specificarentur. Sed esset nimis prolixum.

*Magna olim opus reformatione.*

*Nonum* commodum est: Quia per hoc vitamus unam magnam difficultatem & redargutionem: Aut providebimus diminute, dimittendo multa, in quibus sunt *infiniti excessus*; & reprehendemus, quæ nescimus, vel non voluimus sufficienter providere.

*Decimum*, quod illi, qui tangentur, dulcius & humilius tolerabunt constitutiones & pœnas ordinandas, qvum videbunt, quod nihil eis injungatur, nisi id, ad quod *de jure communi* tenebantur. Quæ, si sine isto colore & titulo expresso eis injungerentur, moleste ferrent, nec æquanimiter tolerarent, & forte non obedirent. Nunc vero omnes Principes & laici faciunt parce pro *nobis*.

*Pœnæ leviores fiunt, si sint de jure communi.*

Nec obstat, quod *reservationes tollerentur*. Quia *de jure* quammultæ sunt, quæ remanent, ut *Extravagantes*, *Execrabilis*. Et beneficia vacantia apud sedem, vel ad duas dietas devoluta, vel litigiosa, vel incompatibiliter detenta, sunt *de jure communi* reservata.

*Reservationes plerasq; tollendas esse.*

*Manere reservationes aliquas de jure communi.*

Item illa, in quibus manum apposuerit Papa per *dispensationem*, privationem, translationem, cassationem electionis, vel renunciationem, etiam ubicunque faceret.

Item *beneficia venientium ad curiam*, vel *recedentium*, infra duas dietas *morientium*. Et idem de beneficiis illorum, qui causa peregrinationis, recreationis, infirmitatis, vel alia, recedentes de curia, intra duas dietas moriuntur.

Item beneficia vacantia per assecutionem. Et præterea posset uti reservationibus, sicut sibi placeret *in terris Ecclesiæ*, & etiam mandare, ut hæc constitutio: *Ad regimen*, & aliæ *Johannis* & *Benedicti*, pro *jure communi tenerentur*.

Nec obstat, quod *expectationes* non darentur. Quia primo *de jure communi* Ecclesiæ & curatores possunt gravari de uno: Et darentur cum clausula antiqua: *Si pro alio non scripserimus*. Et posset aliquantulum plus extendi.

*Expectationum limitatio.*

Item *de jure communi* potest bene Papa ex causa *unum beneficium* vel dignitatem *reservare* in Ecclesiis cathedralibus & collegiatis.

Item *prælati visitarent sedem Apostolicam*, ut tenentur, & à multis illicitis abstinerent. Et dum veniunt ad curiam, injungeretur eis serio. Et tunc cognoscerent, quid sit Papa, & recognoscerent Dominos Cardinales.

*Prælatorũ obligatio Romam eundi.*

Præter vero prædicta restant *multæ causæ*, tam in curia, quam extra *reformandæ*, quæ *in jure communi* clare non comprehenduntur. Ex quibus aliquæ *debent reformari*, *constitutione edenda*.

*Multa olim reformanda tempore Concilii Const. in & extra curiam Ro.*

Et aliquæ *indigent reformatione* per viam *constitutionis generalis* scribendæ, & *de concilio generali approbandæ*. Et quæ talia sint, poterunt dividi *per multas sessiones*.

Quia vero *jura parum prodessent*, *nisi executioni demandarentur*, expedit, aggravare *pœnas in jure scriptas* contra canonum transgressores, & dare *executores* eorum. Aliàs fierent *excessus*, sicut & non putarentur, nec aliquis summo Pontifici nunciaret.

*Jura non juvant, nisi serventur.*

*Pœnæ legibus jungendæ.*

In quo inter cætera proderit, ut cogantur *concilia celebrare provincialia*, & *capitula generalia*, prout est per sacros canones ordinatum. Et ibi sit semper in singulis unus *nuncius Apostolicus*, qui Romano Pontifici referat dubia, quæstiones, accusationes & conclusiones.

*Concilia provincialia celebranda.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

# CAPUT X.

## *De Prælatis & Clericis ordinandis.*

*Episcopi ordinandi.*

COmpellantur Archi-Episcopi, & Decani, Præpositi, Archidiaconi & alii Prælati, infra tempus debitum *suscipere ordines* debitos. Et fiat constitutio pœnalis, etiam sine alia monitione.

*Non fiant sacerdotes nisi bene morati & docti.*

Inducantur potissimum Archi-Episcopi & Episcopi, ut nullatenus aliquos ad sacros ordines, præcipue *ad ordinem sacerdotalem admittant* vel promoveant nisi *bene morigeratos*, & sufficienter *doctos*, instructos in his, quæ sunt hujusmodi ordinum: *Ostendendo pericula*, quibus se exponunt, & *scandala*, & mala, imo & multiplicia honoris Ecclesiastici seu virorum Ecclesiasticorum *decrementa, ex* hujusmodi *indignorum promotione suborta*, ac etiam periculum animæ illius, qui hujusmodi promotioni se exponit, cujus *periculi promotor*, scilicet *Episcopus*, principale est principium. Practicari tamen posset sine generali concilio *per concilia provincialia synodalia.*

*Indocti sacerdotes sunt periculum & scandalum Ecclesiæ.*

Item, ut hujusmodi Prælati, promotores, secure possint *committere officium* suum *viris probis & honestis*, sufficienter *doctis* & instructis: In his, quæ sunt *circa* hujusmodi & ordinum *examinationem necessaria*, sub certis & magnis pœnis *examinando* committant.

*Examina Candidatorum necessaria.*

De *expectativis* detur modus, per quem valeant. Ita tamen, ut non exhauriantur Ordinariorum collatorum & præsentatorum seu electorum potestates: puta, ut non valeat expectantia de beneficio, quod est solùm *unum* collatori, ne privetur uno lumine.

*Expectantiũ limites Papales.*

Si autem habet *plura* conferre, valeat expectativa. Sed post unam expectativam non possit aliis immediate continuari. Quæcunque clausulæ sint in locis positæ, secundum ordinarios *libere reformentur.*

De *beneficiis obtentis simoniace in curia Romana, vel extra*, quod possint libere conferri & impetrari.

*Beneficia simoniace accepta.*

Et quod *habentes de facto*, teneantur ad restaurationem perceptorum. Et ad hanc teneantur prælati procedere sub pœna perjurii. Nam hoc esset addendum in juramento Prælatorum.

Item ut nulli, nisi *graduati*, vel *nobiles magna nobilitate*, ad Ecclesias cathedrales admittantur: Nec beneficia curata nisi *docti* competerent, & *moribus probati.* De quo judices ad hoc astringuntur *sub pœna excommunicationis*, a qua nullus possit absolvere, nisi summus Pontifex, vel *sub pœna privationis* omnis honoris Ecclesiastici, vel beneficiorum, si votum non fecerint examinationis vel probationis.

*Promovẽdi graduati, nobiles, docti, bene morati.*

Alias videtur, quod ex toto servetur *jus commune* in collatione beneficiorum. *Quod si remaneat una scintillula gratiarum expectativarum, crescit statim in flammam.* Sed ponantur pœnæ Ordinariis male conferentibus, & statuatur, quod certa beneficia non possint dari nisi *literatis graduatis.* Reservetur aliquis numerus etiam beneficiorum in singulis collationibus, secundum numerum beneficiorum illius collationis, de quibus Papa possit disponere.

*Jus commune servandum in Officiorũ sacrorum collatione.*

Item, ultra *reservationes juris*, fiant aliquæ: Non tamen de majoribus dignitatibus post pontificales in cathedralibus, vel de principalibus collegiatis: Quia illas magnis expedit dari *secundum jus commune*, ut communiter sunt electivæ.

# CAPUT XI.

## *Quod Prælati & beneficiati resideant, & sua Officia exequantur: Et de dispensationibus super præmissis.*

*Pluralitas officiorũ restringenda.*

DE *dispensatione* super pluralitate & incompatibilitate beneficiorum videatur, ut non concedantur alicui ultra certum numerum, ne unus occupet

cupet infinita, & alter fame pereat, & videtur servanda constitutio: *Execrabilis.*

Item, circa ista videtur omnino esse providendum, ut *in provincialibus conciliis* statuatur, inhibendo prælatis, sub pœna excommunicationis, ne à suis diœcesibus per tot & tanta tempora recedentes negotiis secularibus Regum & Principum temporalium insudarent, sed in suis diœcesibus residentes Regibus & Principibus temporalibus poscentibus consilium per scripta darent, vel per ambasiatores, & in casu arduo in propria persona venirent, & peracto negotio ad propria redirent.

*Prælati suis Ecclesiis præsint, nec diu ab Ecclesiis absint.*

Item videatur de obtinentibus dignitates, quibus injungitur *cura animarum*, etiam capitulorum, Ecclesiarum, & qui habent *in capitulis residere*, ut cum talibus *nullatenus dispensetur.*

Item inducantur *peccata suorum subditorum dissimulantes*, nec omnia corrigentes, sed in eisdem suscepta peccata colorantes: Non *pastores* sed verissimi bonorum spiritualium & temporalium suorum subditorum sunt censendi *raptores*, ac suorum omnium crudeles occisores: Ostendendo etiam pericula, quibus se exponunt & suas oves. HODIE enim TALIA OMNIA VENALIA SUNT, & PECUNIIS REDIMUNTUR.

*Pastores ne dissimulent peccata auditorũ.*

*Venalia olim omnia.*

Item circa hoc videtur hoc modo fore providendum in *generalibus conciliis*: Statuetur, inhibere omnibus & singulis sub pœna excommunicationis, ne talia permitterent; sed ad hujusmodi peccata punienda procederent, secundum modum & formam in jure contentam.

*Scelerati non imputandi dimittendi.*

## CAPUT XII.

## *De Vita & honestate Clericorum & religiosorum, & de illorum excessibus corrigendis.*

PRovideatur, quod pueri & *puellæ non obligentur religioni, nisi sint in plena pubertate, propter nimios lapsus*, qui in hujusmodi accidunt.

*Moniales ne fiant ante ætatem.*

Item, circa *concubinarios* provideatur cum effectu.

*Clerici cõcubinarii corrigendi.*

Aliàs sic negligendo *præstaret permittere conjugium clericis.* Et *de hoc etiam disponetur.*

Item Domini *Prælati* & alii viri *Ecclesiastici* ut vitam suam ducant secundum *sanctorum Patrum* nostrorum prædecessorum *sanctiones*, nimium *fastum* & *pompas* nimias reprimentes, non familias tot multiplicantes: Ostendendo pericula, quibus verissime se exponunt, non secundum hujusmodi sanctiones vitam suam ducentes.

*Nimia clericorũ pompa moderanda.*

Item inducantur, ut secum *clericos doctos & bene morigeratos* habeant, stipendia bona ipsis ministrantes pro pluribus aliis famulis inutilibus. Ad eorum officium prætermissum vel omissum multa dicenda sunt.

*Episcopi doctos habeant clericos.*

Item omnes *Ecclesiasticæ personæ*, etiam *Cardinales*, observent canones circa formam & colores vestium, & tonsuras, & cappellas. Quia hodie multæ sunt deformitates, etiam in religiosis. Quorum plures *Abbates* aliquando portant auratas, argenteas, & aliàs pretiosas de serico, & in equis ornamenta & phaleras, instar militum. Et apponantur *pœnæ*, ne talia fiant.

*Habitus clericorũ sit modestus.*

## CAPUT XIII.

## *De Visitationibus.*

ITem proponatur, ut diligenter & utiliter, *plus ad animarum commodum, quam pecuniarum extorsiones*, fiant per prælatos *visitationes.*

*Visitationes Ecclesiarum olim quæstuosæ.*

Et offeratur præfato concilio quidam *tractatulus*, *in Concilio Rhemensi provinciali compositus*, tractans de *particulari modo visitandi*, *Ecclesias particulares* refor-

*Gersonis op° de visitatione Ecclesiarũ commendatum.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

*reformandi*: Prius tamen examinandus, &, si opus fuerit, corrigendus, addendo vel diminuendo, si quæ fuerint. Inde *per diœcesa* scripto & verbo *divulgetur* per eos.

## CAPUT XIV.

## *De synodis generalibus.*

*Conciliũ generale sæpe congregandũ.*

CONgregetur *generale concilium* saltem in capite decem annorum. Et de hoc supra.

*Contra statuta Concilii generalis non esse dispensandum.*

Quod *contra statuta concilii non possit dispensari* nisi in alio concilio, nisi forte ex magna necessitate, & tunc consentientibus duabus partibus Cardinalium.

*Prælati ad Concilium Generale vocandi.*

Item, quod Prælati vocati ad concilium non possint venire per substitutos, nisi ex causa gravis morbi. Et aliæ causæ non acceptentur, nisi approbentur & concilio. Et contra contumaces in non veniendo procedatur, usque ad privationem beneficiorum faciendam.

*Oratores regum ac Principũ sint in Concilio generali.*

Si in concilio videbitur, quod ultra prælatos intersint *oratores Regum & Principum*, si voluerint: Et de hoc requirantur: Præcipue autem *Imperatoris*, *qui etiam ex debito officio deberet personaliter interesse.*

*Professores Academici ad Conciliũ generale vocandi.*

Item, quia multum expedit, ut interfint *viri docti*, vocentur *de quolibet generali Studio* aliqui famosi, vel in canonibus vel in sacra pagina, prout Studia in his abundant.

## CAPUT XV.

## *De synodis provincialibus & diœcesanorum.*

*Concilia Provincialia non negligenda.*

DE *synodis provincialibus* & de diœcesanorum, ut apponantur *pœnæ* gravissimæ Prælatis, si omittant. Et idem de *synodis Abbatum & religiosorum*, qui ipsas omiserunt. Quia ex hoc causatur materia delinquendi.

Item, ut *provincialia* fiant *concilia*, etiam *religiosorum*, secundum modum & *formam in jure contentas*. Et ut non sit defectus in eorum celebratione.

*Johannis 23. constitutio An. 1412. Romæ facta.*

Avisentur autem modi honeste cohortandi metropolitanos atque suos suffraganeos, & alios subditos, ut vocent suos inferiores, ut compareant. Præter modos in jure scriptos fuit *facta in urbe anno tertio Domini nostri Johannis constitutio* pœnalis opportuna, quam debet habere *Dominus Pisanus.*

*Statuta Synodala sæpius publicanda.*

Item, ut *statuta synodalia* ut & *provincialia*, ipsos laicos subditos concernentia, aut aliquando ligantia, certis diebus in anno à curatis parochialibus ipsis laicis *explicentur*, & in tabulis publicis verbis maternis *conscribantur.*

*Statuta conservãda scripto.*

*Statuta* autem concernentia aut ligantia Ecclesias majores vel minores, religiosos & non religiosos, solutos & non solutos, *in scripta redigantur*, & singulis Ecclesiis parochialibus aliis, in verbis latinis aut maternis *communicentur.*

Iste articulus practicari potest per præfata concilia sine generali concilio.

Et utique expedire videtur. Quia *propter* hujusmodi *statutorum ignorantiam* quam plures sunt hujusmodi *statutorum transgressores* in eorum præjudicium.

## CAPUT XVI.

## *De exemtionibus revocandis.*

*Exemptiones revocanda.*

DE *exemtionibus* revocandis, aliquibus *ex toto*: Ut, si sint Ecclesiæ, quæ non subjacent alicui regioni vel ordini: Aliquibus *ex parte*, scilicet reducendis ordini communi, *Sexto Decretal. lib. I. tit. 4. cap. 1.* Deinceps concedendæ non valeant, contra formam dicti capituli, nisi aliter decernatur *in Concilio.*

Circa

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Circa hoc multum attendendum, ſcilicet circa *exemptiones capitulorum* & perſonarum Eccleſiarum cathedralium, maxime *in regno Franciæ*, in quo *pene omnes exemti* ſunt. Quia illas tollere eſſet remederi multa ſcandala.

Sed exemptiones à metropolitanis poſſent revocari certis modis. Quia grave eſt, devenire ad ſedem Apoſtolicam pro qualibet cauſa.

Item de *exemptionibus* generalibus *ordinum*, utpote Hieroſolymitani, & ſimilium, expediret dari in ſingulis provinciis judices Apoſtolicos: Quia in illis exemtionibus multa ſequuntur ſcandala, & in aliis perſonis & in rebus.

## CAPUT XVII.

## *De cenſuris Eccleſiaſticis, & irregularitate.*

PRoponatur, ut quicunque Domini & judices ſpirituales, ordinarii & delegati, non tam leviter in ſuos ſubditos ferant *excommunicationis ſententiam*, potiſſimum in cauſis debitorum temporalium, & levium injuriarum.

*Excommunicationes ſint rariores.*

Item proponatur, ut merito à multitudine excommunicatorum ad unitatem Eccleſiæ reducantur. Ut in primis ſynodalibus conciliis celebrandis ſtatuatur præcipere omnibus & ſingulis curatis parochialibus, ſub pœna excommunicationis, ut ad ſe ſucceſſive vocent parochianos excommunicatos, & de cauſa excommunicationis & permanentia quærant: Et prævia informatione debita, ad judices officiales veniant, ad præfata in potentia informantes: Quibus informatis præfatos excommunicatos ad ſe vocent, partibus etiam convocatis; Et ad præſtanda, ut melius conformiter ad jura fieri poterit, beneficii abſolutionis ſtatuta, ſub pœna excommunicationis, præfati officiales teneantur.

Item eligantur *quatuor viri nobiles, diſcreti*, qui *omnia juris volumina*, nova & antiqua, *revolvant*, *extrahentes* ex eis omnes *caſus* expreſſos & determinatos, *in quibus* viri Eccleſiaſtici, majores & minores, religioſi & non religioſi, ſoluti & non ſoluti, atque laici, viri, mulieres, ipſo jure *pœnas juris incurrerint*, pœnam ſcilicet excommunicationis, ſuſpenſionis, & irregularitatis, & ſic de aliis: Ut ex eis *ſpecialis* poſſit componi *libellus in generali concilio, quoad ſingulos hujusmodi caſus viſitandos.* Et ſi aliqui ſint oneroſi & inutiles, revocentur, & neceſſarii roborentur. Iſtud videtur expedire ex hoc, quod *ſecundum temporum diſpoſitionem & varietatem* neceſſe eſt, & *neceſſitas* ſumma, ut *ſtatuta humana poſſint variare.*

*Compendium juris faciendū de variis caſibus pœnalibus Eccleſiaſticorum.*

*Liber ille Concilio Conſt. offerendus.*

Item quod *præfatus libellus* vel *tractatus*, de quo ſermo, *per generale concilium viſitandus*, poſtea viſitatus ſingulis Eccleſiis, & earum prælatis communicetur.

*Examinandus.*

Iſti duo articuli expedire videntur: Quia quamplures ſunt viri Eccleſiaſti- & laici, hujusmodi pœnis involuti ignorantes, ex hoc ſuam non procurantes reconciliationem.

*Introducendus.*

HÆc ſunt, quæ in *MSCto VINDOBONENSI* ſub nomine *Agendorum in Concilio Generali Conſtantienſi* exhibentur, autore, ut nobis quidem hactenus videtur, *Cardinale Franciſco Zabarella.*

His absq; omni intervallo ſubnectuntur ſtatim nonnulla *Gerſoniana*, quæ de eadem agunt materia, quam jam jam tractaverat Cardinalis, nempe *de Excommunicatione limitanda ac reſtringenda.* Apparet autem, hæc ab ipſo Cardinale eſſe excerpta ex Gerſone, & confirmandæ atque illuſtrandæ ſuæ ſententiæ cauſa allata. Sicuti magnæ autoritatis *Gerſonem* apud hunc fuiſſe Cardinalem ex eo ap-



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

paret, quod plusculos *Gersonis* libellos, *Theologiam* ejus *dogmaticam*, & *De Visitatione Ecclesiastica*, tanti fecerit, ut universo Concilio Constantiensi offerendos judicaret, atque publica Concilii autoritate in Ecclesias introducendos. Vid. supra *Cap. I. & XIII.*

Quia autem hæc *Gersoniana* paucula sunt à Cardinale excerpta ex ejus libro *De vita spirituali animæ*, *Lect. IV. Coroll.* 14. quæ habentur *Tomo III. Op. f.* 62. *lit. S.* cum his MSCtum conferre non intermisimus.

Quod igitur hæc *Gersoniana* calamo excerpentis ac loco testimonii adducentis sint hic jam facta *Zabarelliana*, omittere atque ab opere superiori præscindere nefas putavimus. Sequens itaque illis præmittitur in *Vindobonensi Codice MSCto* inscriptio:

## Sequuntur plures *Conclusiones in materia ferendæ excommunicationis sententiæ*, positæ per Magistrum *Johannem Jarssana Cancellarium Parisiensem.*

*PRima propositio: Expediens videtur, nullam excommunicationis sententiam ferri nisi pro manifesta contumacia, quando se monstrat aliquis audire Ecclesiam non paratum. Ratio. Quoniam dum semper est paratus audire Ecclesiam, cur habebitur sicut hæreticus* (Edit. Argent. 1494. ethnicus) *& publicanus? Cur ab eadem præscindetur? Hoc tenet Scotus.* (in IV. Sentent. dist. 25.) *In decima distinctione allegat de hoc textum Christi, in quo fundata est autoritas excommunicandi & correctionis fraternæ. Et hinc sumitur validum à contrario sensu argumentum.*

*Excommunicatio hominum irrita sæpe apud Deum.*

*Juxta hoc videre est, qualiter impossibilitas parendi mandatis Ecclesiæ facit, ut quis apud Deum nulla sit excommunicatione ligatus. Quod si talis impossibilitas notoria sit, impedit, ne quis possit ab Ecclesia per excommunicationis sententiam juste separari. Et* (Ad) *hoc videtur usus Ecclesiæ, dum quis excommunicatus pro debitis, absolvitur, dum cedit bonis suis omnibus, qui facit in hoc ultimum ejus quod potest.*

*Injuste aliqui excommunicantur.*

*Certum est,* (Ceterum) *dum aliquis ex ignorantia, quanquam culpabili, aut infirmitate & passione vitiosa, non tamen contumaciter fecerit aliquem actum, pro quo statuta est sententia excommunicationis lata sententia ab aliquo Prælatorum, videant Juristæ & judices, si talis possit dici excommunicatus ipso facto, cum semper sit & fuerit promptus stare correctioni Ecclesiæ super delicto suo, prout supponitur, quia non ex contemtu clavium & jurisdictionis Ecclesiasticæ, sed aliunde motus, ut dictum est, malum fecit. Non enim quælibet inobedientia pro contumacia reputatur.*

*Non facile quempiam pro excommunicato habendum.*

*Secunda propositio: Videtur expediens, ut nullus teneretur alium vitare, quantumcunque excommunicatum à jure, nisi postquam denunciatus fuerit esse talis à suo judice. In omni quippe alio casu fere potest homo rationabiliter præsumere, proximum suum non excommunicatum esse. Et oppositum faciens exponit se frequenter discrimini peccati mortalis, alienum servum temerarie judicando. Exempli gratia, video fortem* (sortem) *interficere sacerdotem aut eum vulnerare. Si judico fortem excommunicatum, possum errare. Quia vel a judice potuit habere mandatum, ut hoc faceret, vel ebrietas aut furor eundem excusat, aut aliquid aliud intervenit, propter quod in judicio contentioso, cum ad illud venerit, absolvetur.*

*Præterea, quicquid sit in præsentia facti, nescio tamen infra biduum, an à suo judice fuerit absolutus: Quam absolutionem neq; mihi, neque cæteris tenetur nunciare. Secus est, dum judicialiter est condemnatus. Quia judicio publico debet absolvi, si non vult evitari.*

*Petro de Alliaco à Gersone tan-laudatus.*

*Quæreret aliquis: Quid operantur excommunicationis latæ sententiæ per canones? Respondeo, sicut accepi à Præceptore meo, eas*

*tantundem operari, ut absque processu alio judiciali aut nova constitutione, possit judex statim probato facto vel confessato ferre juris sententiam, & eandem publicare. Non sic, ubi canones essent solum ferendæ sententiæ. Quoniam monitiones & processus secundum terminos juris prærequirerentur multiplices.*

*Ex eadem ratione videtur, quod nullus parochianus debet evitare curatum suum a suis ministeriis publice separando, nisi prævia superioris sui fuit sententia publicata* (publicatus.) *Debet enim tolli, quantum possibile est, à subditis occasio rebellionis & temerariæ dijudicationis cujuscunque alterius, quoniam ista sunt peccata gravissima. Sed dare licentiam, vel præceptum, consensum,* (confusum) *ut subditi vitent curatos suos, non prævia sententia & publicata, est eos prædictos peccatorum periculo exponere.*

*Laici facilès movent suspiciones de clericis.*

*Cum laicis clerici sint infesti, poterunt leviter dicere de suis curatis, quod sint fornicatores publici, si forte colloquium, vel consortium modicum viderint apud eum cum mulieribus.*

*Rursus, etsi curatus fuerit heri fornicator potuit tamen pœnitere, ut secundum judicium sui superioris & confessoris, obtulerit, se dimissurum concubinam suam, tempore & loco. Quia non* (subito tenetur semper hoc facere. Sicut nec pœnitens astringeretur removere) *subito à se quicquid sit* (fuit) *aut est occasio peccati. Tunc parochianus vitando istum verè absolutum, quomodo non peccabit? Non autem debet leviter suspicari, nunc aut aliàs, quod vero careat beneficio absolutionis, nisi dum per sententiam judicis fuerit ut talis promulgatus. Sed tunc tamdiu vitabitur, quoadusq; fuerit publica denunciatione* (noviter) *absolutus.*

*Adde, quod stabit tunc esse diem dominicum, dum parochianus primo incipiet suspicari vel judicare, quod curatus suus sit fornicator, & ita vitandus: Quid aget in hoc casu? An vitabit eum? Et hoc erit contra præceptum Ecclesiæ de audiendo missam die Dominico: Quia aliam, ut suppono, non poterit illo die procurare: Aut communicabit? Et hoc erit contra constitutionem* (conscientiam) *& ædificabit ad gehennam.*

*De clericis non temere nimis judicandum.*

*Poterit etiam falli, ut dictum, de impœnitentia sacerdotis forte pœnitentis & absoluti judicando. Imò eum potius debet judicare pœnitentem & bonum, quam oppositum: Cum* [subito] *potuerit à Spiritu sancto visitari, & pœnitere, confessionem actu loco* (vel voto) *perficere.*

*Postremo, quis non videat, hanc licentiam esse fomitem schismatis inter subditos, aliis dicentibus de curato, quod bonus sit, aliis non, sed vitandus. Quia* (nec est par omnium affectio, nec par discretio) *nec par eorum quæ juris & facti* (sunt) *cognitio.*

*Objicietur fortasse nobis illa Decretalis cum suis glossis de Cohabitatione clericorum & mulierum: Ubi per argumentum à contrario sensu trahitur, quod fornicator notorius, qui scilicet* (nulla) *tergiversatione negari potest esse talis, vitandus est, etiam non expectata superiorum sententia. Hic dicimus aliqua, quod vel consuetudo oppositi, tum & Prælatorum tolerantia, quæ non executa est hanc decretalem in curatos & subditos, interpretatæ sunt illam legem non esse servandam, vel quod ante sententiam superioris, quam diu toleratur, nihil proprie debeat ita notorium crimen à subditis reputari, quin aliqua possit tergiversatione celari* (negari.) *Juste quidem, aut propter inspiratam* (inspirantem) *gratiam, ut dictum est, quæ nescit in visitando tarda molimina, aut quia nescitur operantis intentio in* (aut) *causa. Nonne posset mulier in casu frequentari à curato pro sua conversione, sicut egerunt aliqui sanctorum circa publicas meretrices. Sic presbyter etiam meritorie tradi posset morti. Ad hoc facere videtur Decretalis, immediate præcedens: Multa insuper decreta, quæ non loquuntur in hac materia, nisi de sacerdotibus sententialiter condemnatis, si bene videantur, aut si aliqua sonant aliter, potest eis non incongrue interpretatio* (talis aptari. Et videant, obsecro, oppositum sentientes, quam) *irrationabile sit, ut Prælatus communicet cum curato parochiali, saltem dum tolerat eum scitum esse talem, & parochiani eundem evitare, non dico poterunt, sed debebunt.*

*Quod si quæsierit aliquis: Quid valebit igitur illa distinctio famosa inter fornicatorem notorium & non notorium? Plane ad hoc, quod notorius potest absque alio juris ordine protinus condemnari per judicem, alius non nisi testibus legitime* (legitimis)

(legitimis) *juris ordine præconvictus* (prius victus.)

*Juxta hoc forsitan elici potest intellectus, quod debet fornicarius notorius evitari, quia ipse potest aut debet statim judicaliter pro evitando judicari.* (Judicari) *dico, non à subditis sed prælatis. Consuetudo imo & utilitas publica videntur pro hac interpretatione militare, & hanc reddere non distortam.*

*Pro dictis omnibus sunt glossæ ordinatæ* (ordinariæ) *Augustini & Ambrosii, super illo 1. Cor. V. capitulo: Si quis frater nominatur. Similia* (Similiter) *diceremus de sententiis promulgatis generali modo loquendi,* (absque) *nominum expressione,* per Ecclesias. *Ut dicendo: Excommunicamus, omnes sacrilegos, omnes, impedientes justitiam Ecclesiasticam, omnes, qui talem rem surripuerunt &c. Talis modus loquendi generalis & consensus* (confusus) *non ligat, ut videtur, gentes ad vitandum illos, quos in particulari tales cognoverunt, nisi per judicium tales esse nominatim promulgentur. Non enim parem habet efficaciam generalis modus loquendi cum speciali. Sicut sacerdos literatus potest dicere, quod omnis fur sit suspendendus, nec irregularitatem incurrit, qua innodaretur, si diceret, hic fur suspendio deberet* (meruit) *interimi. Aliæ causæ patent ex prædictis.*

*De excommunicatione generali in Ecclesiis.*

*Denique ratio ad propositionem est, quando magna pœnitentia* (pœna) *esset, magnum insuper discrimen conscientiæ* (conscientiarum) *apud innocentes, si per* (propter) *aliorum delicta ipsi* (passim) *& absque judicio tenerentur excommunicati. Audivi de* (Papa) *Urbano V.* (quod gloriabatur, se Papam esse, ob hanc præcipue causam) *quod nullis pœnis excommunicationis & irregularitatis erit* (erat) *obnoxius, qui* (si dilexisset proximos suos sicut se ipsum, & hoc advertisset,) *relaxasset fortasse tot laqueos, tot onera, tot pericula abeorum cervicibus, ut aliquali etsi non pari ad ipsam libertatem* (ad ipsum libertate gratulari potuissent.)

*De Papa Urbano V.*

---

Hæc sunt cum *Zabarelliana* tum *Gersoniana*, in laudatissimo *Codice MSCto* servata. Judicium aliis esto relictum, *integrumne opus* sit *Zabarellianum*, an aliquid forte desideretur. In simile MSCtum qui inciderit, certius judicium feret, & vel calculum nobis dabit, vel quæ restant exhibebit. Decimus fideliter quod invenimus.

Præterea, cum instituti nostri ratio requirat, subnectere opusculis his *autorum vitam*, aut *virtutum* quibus excelluere, ac *fatorum* quibus jactati, recensionem: Contentos hac vice lectores curiosos fore confidimus luculenta *gemina Oratione funebri*, dicta à viris clarissimis in ipso Concilio Constantiensi in laudem defuncti Constantiæ hujus *Cardinalis Francisci Zabarellæ.*

En ergo primò loco elegantissimum in Constantiensi concilio Oratorem *POGGIUM FLORENTINUM.*



JO. FRAN-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

# VITA
# FRANCISCI ZABARELLÆ,
Cardinalis Florentini,
eleganti Oratione
# JOHANNIS FRANCISCI POGGII FLORENTINI,
Clarissimi in Concilio Constantiensi Oratoris,
*In laudato Concilio A. MCCCCXVII.*
*in Cardinalis funere descripta.*

ETsi plurimo luctu doloreque impedior, Patres Conscripti, quem ex *optimi præstantissimique viri* morte una vobiscum suscipio: Tamen non *doloris* tantum mei quantum *officii* rationem me habere oportet. Celebratur hodie funus *hominis sanctissimi, deoque optime meriti.* Cujus gloriæ si hoc in loco deessem, vereor ne ingrati nomen subirem. Itaque in *publicum munus*, quod extremum à nobis mortuo præstatur, æstimavi mihi etiam *privatim* aliquid honoris esse adjiciendum. In quo si vobis minime satisfecero, numquid illius amplitudini, quæ maxima est, debeatur? Sed quid facultas mea dicendo consequi possit, animum quæso advertite. Illud enim arbitratus sum, cum hæc, quæ in mentem veniunt, paucis recensuissem: Et satisfacturum me desiderio meo, & simul quasi materiam quandam præbiturum reliquis, majora atque ampliora quædam dicendi. Non enim usitato genere orationis, non mediocri eloquentia virtus ejus contenta est, sed postulat excellens ingenium, atque exquisitum & eximium dicendi genus.

Nam per Dei immortalis religionem, cujus hic fuit propugnator acerrimus, quis nisi singulari ingenio & eloquentia pene divina, illius possit in omni vita laudes, non solum ornare verbis, sed enumeratione complecti? Multos vidi, multos cognovi ipse *ætatis nostræ excellentes viros*, qui *præditi* essent *una quapiam virtute singulari*: In quo vero *omnes virtutes* omnem vim suam expressissent, præter hunc cognovi neminem. Nam sive *studia doctrinæ*, & omnem scientiam rerum quam *sapientiam* vocant, sive *prudentiam*, *humanitatem*, *fortitudinem*, *liberalitatem*, *gravitatem morum* quæsieritis, & *vitæ integritatem*: Procul dubio nullum reperietis cum hoc viro (pace aliorum dixerim) ne longo quidem intervallo comparandum.

Quare à vobis peto, Patres Conscripti, cum pauca *de ipsius vita & moribus*, prout tempus feret, dixero, me *de virtutibus ejus* dicentem benigne, sicut cœpistis, attenteque audiatis.

*Ortus* FRANCISCUS ex *Patavio*, ut scitis, urbe inter Italas longe antiqua & nobili: *parentibus honestissimis* ac se dignis. Quorum

*Patria Patavino.*
*Italia.*
*Parentes honestissimi.*

*Educatus sancte.* rum diligentia *sancte domi enutritus*, cum primum per ætatem licuit, *sponte sua totum se litteris dedit.* Et cum varia essent genera discendi, in quibus multa cum laude posset versari: Tamen præclarissimam atq; utilissimam vitæ mortalium cum videret *juris scientiam ac legum*: Omnem suam curam ad illas convertit. Atq; in eis ita *excellens evasit*, ut non solum nostri, sed etiam superioris temporis homines longe anteiret.

*Literis se dedit. Juris studium excoluit. In eo excelluit.*

*Alia studia nõ neglexit.* *Nec* tamen *alia studia neglexit.* Nam propter *acumen mentis atque ingenii* addidit quoque ad legum scientiam & *reliquarum artium cognitionem.*

*Adolescẽtiæ modestia. Juvenis autoritate senili.* Adolescentiam tanta *modestia* composuit, ut *juvenili ætate auctoritatem obtineret senum.* Lascivias omnes & blandimenta corporis, quæ illa secum fert ætas, adeo est aspernatus, ut *perpetuam* elegerit servaveritque *castitatem.* In quo non mortalium sed cœlestium imitatus est naturam.

*Professor. Docere cœpit.* Cum vero ad *virilem ætatem* pervenisset, existimans nonsolum sibi se natum esse, sed procreatum quoque *ad utilitatem cæterorum:* Palam *cœpit docere*: non tam quæstus gratia, quem semper ille contempsit ac pro nihilo habuit, quàm *officii & communis utilitatis, quo laborum suorum fructus ad multos perveniret.*

*Ex ejo disciplina doctissimi viri orti. Adamato ab omnibo eruditis.* Igitur *ex ipsius schola* veluti ex uberrimo fonte sapientiæ innumerabiles *præclarissimi viri emersere.* Concurrebant ad eum undique ex toto fere terrarum orbe qui recte sapere volebant. Quia non solum *notitiâ legum*, quod ipsum erat satis, sed quod est egregius, *vitæ exemplo* insignem intuebantur. Natus enim ad decus & honestatem *vir sanctissimus.*

*Virtuti deditissimus. Decorum in tota vita spectavit.* Inprimis habuit præcipuam *curam virtutis colendæ.* Nec minorem *vitæ bene agendæ rationem* habuit, quàm comparandæ doctrinæ. Summa *integritas*, *continentia*, *gravitas*, *vitæque moderatio*, adeo in omni vita *decorum* illud servavit, ut ne leve quidem dictum factumve in eo reperiatur indignum viro bono & gravi. Natura fuit *clemens*, ut qui nihil tam obliviscereturquàm injuriam.

*Lenis. Benignus. Humanus. Aditus ad eum patuit facilis. Sermone lepidus & facundus.* *Mores faciles*, ad *lenitatem* proni. Nam *severitatem* magis *ex disciplina* contraxerat, quam natura. *Benignitate* atque *humanitate* fuit tanta, ut omnium videretur quasi *communis parens.* Patuit semper ad eum *aditus* etiam *minimis.* *Audiebat benigne* omnes, *comiter respondebat.* *Vultu* erat *gravis*, sed cui inesset *multa urbanitas.* *Sermone lepido ac facundo*, quo usque adeo delectabamur, ut ex ejus ore *melle dulcior* (sicut de Nestore inquit Homerus) fluere videretur *oratio.*

*Luctã adolescens amavit.* Amavit persæpe *facetias* ac *jocos* verborum, animi relaxandi gratia. Nam vel ludendi vel exercendi corporis nullam habuit curam, præterquam *luctæ*, cui in adolescentia ad valetudinem aliquando, idque modice indulsit. *Benevolentiam in discipulos* suos tantam ostendit: Ut *quos videret pronos ad virtutem* (nam vitiorum hostem se præbuit acerrimum) *haberet loco filiorum*, quos fovebat, erudiebat, enutriebat, non secus ac boni frugique parentes solent.

Quod

Quod autem meo judicio plurimum æstimandum est, simplex fuit & *apertus, nullius rei simulator aut dissimulator*, sed *cultor veritatis*. Unde illud Socratis semper in ore habuit, facile homines ad virtutem evasuros, si tales esse curarent, quales vellent videri. *Cibi* fuit *parcissimus, & modici somni*. Nam *lucubrabat assidue*, lectioni intentus. *Tempus* enim per socordiam *diffluere non sinebat*. Præter hæc *disputabat frequenter in scholis*, ingenii acuendi gratia. Quo studio & diligentia incredibilem rerum omnium scientiam est consecutus.

*Aperti animi fuit. Veritatem amavit. Victus parcus. Disputavit frequenter in Academ.*

In hoc otio & vita diutius versatus, cum *ejus nomen longe lateque ferretur* (Erat autem ingens tum *prudentiæ*, tum *probitatis* suæ constans *fama*) eos etiam qui nunquam eum vidissent ad se diligendum alliciebat.

*Inclaruit ex prudentia & probitate.*

Igitur pellectus est *Johannes*, qui tum erat *pontifex maximus*, ut *eum* nequicquam tale expectantem *præficeret Ecclesiæ Florentinæ*. Ecclesiæ inquam ejus urbis, quæ inter cæteras potissimum floreret. Ut non tam *Episcopi* nomine eum cohonestare velle videretur, quam *titulo magnificentissimæ civitatis*. Cui adeo charus fuit, ut nunc quoq; *Francisci Episcopi* nomen in ea sit celeberrimum.

*Episcopus Florentinæ à Johanne 23. constitutus.*

Inde considerans *Pontifex* non satis esse factum vel virtuti illius, vel hominis conceptæ opinioni, ipsum *Cardinalem* appellavit *Florentinum*. Et quod multi precibus, divitiis, ambitione, quidam nobilitate & virtute majorum, nonnulli nomine adipiscuntur, hic *virtute propria* adeptus est, cum hanc tam insignem dignitatem nullius intercessione ultro ad eum Pontifex detulisset. Nam *in quo virtus* erat, reliqua illi omnia adesse putabantur. Non enim postulantibus amicis, non patriæ quærenti, non imaginibus majorum, non opibus tributum est *decus illius honoris*, sed *sapientiæ, virtuti, & sanctimoniæ vitæ, quibus tunc Romana Ecclesia permaxime indigebat*. Magna laus accessit Pontifici, cum intelligerent homines, in *virum bene meritum* (*quod raro admodum videmus fieri*) *collatam* esse *amplissimam dignitatem*. Illa quidem vere appellatur *dignitas*, quæ confertur ultro *in hominem dignum*, non quæ precibus aut pretio est emendicata.

*Cardinalis Florentinus creatus à Johanne 23.*

*Non ambivit hos honores, sed meruit.*

Hinc mirificam ejus viri *probitatem* cognoscite. Solent hi sublimes honores ac subitanei paulum inflare homines & insolentiores reddere. Difficile est enim in rebus secundis ac magna licentia non egredi officii metas. Adeo quidam efferuntur, ut nedum alios sed ne se ipsos quidem satis cognoscant. Priorum familiaritatum obliviscuntur, nec comparant novas. Non qui ipsi sint respicientes, sed quid possint. Non bonorum ac malorum, sed divitum & pauperum discrimen habentes. Ita priores mores exuunt, ut merito circes pocula sumpsisse videantur. At vero *Franciscus* noster longe abfuit ab istorum perversitate. Nihil de anteriori consuetudine immutavit. Nihil elatus est. Conservavit se integrum. *Humanitatem* vero, *clementiam*, ac *liberalitatem* etiam auxit. Nam quo plus poterat, eo diligentius incumbebat, ut quam plurimis ferret fructum. *Tunc* enim *maxime bonitatem exercendam esse* dicebat, *cum bene agendi potestatem haberemus*, quæ raro Principibus deesse soleret. *Veteres amicos* adeo *dile-*

*Magnis his honoribus non elatus.*

*Pristinos mores bonos in honoris culmine retinuit.*

*Veteres amicos constanter dilexit.*

*Dignitatē nō ex pompa sed mānsuetudine æstimavit.*

*dilexit*, ut ne quorundam immutatione animum ipse suum mutarit, *dignitatem auctam* esse dicens *non personam*. Non in fastu, non in pompa & ostentatione decorem dignitatis situm ducebat, sed *placabilitate animi* ac *mansuetudine*. Itaque is unus erat maxime, ad quem docti homines, & musarum amici sine fastidioso stomacho possent adire.

*Laborum patientissimus.*

Hinc si vellem sigillatim discutere *actiones* ejus, & *labores*, quos pertulit tum pro multorum salute conservanda, tum pro communi causa Christianorum, recensere, longa mihi esset habenda oratio. Illud præterea vereor, ne quo plura enumerem illius benefacta, eo magis recrudescat dolor, qui & me impediat a dicendo, & vos reddat in audiendo tardiores. Quamobrem pertransibo ea, quæ ad singulos spectant, & cum alio festinet animus, ea solum percurram, quæ pertinent *ad publicam causam*. Quæ licet vobis sint notissima, tamen absque ignorantiæ culpa nequeunt prætermitti.

*Publicam causam sedulo egit.*

*Ad Concilii œcumenici convocationē electus.*

Nam simul ut est factus *Cardinalis*, videns se *in publici concilii convocationem delectum*, omnem quoque meditationem suam in procuratione *causæ publicæ* collocavit. Quod & multis in rebus antea ostendit, & tunc præsertim cum *ad deligendum locum pro præsenti concilio* missus est. Nam fuit inprimis *auctor hujus loci statuendi*, qui discordiis & dissensionibus fidelium fatalis esset futurus. Qua in re licet paulisper eum opinio sua fefellit, tamen *non rerum eventu metienda sunt consilia hominum, sed ratione*. Nam ut Cicero dicere solebat: *Recta sententia ne infecta quidem causa vituperanda est*. Ille tamen *qua mente delegerit hunc locum* postea designavit, cum neque aperta odia multorum neque quorumvis simultates extimesceret, quo minus institutum iter ad Ecclesiæ unitatem prosequeretur. In quo utinam plures nactus esset *imitatores constantiæ* suæ, non hic tam diu hæsitaremus, sed loco constituto.

*Locū Concilii universalis commendavit Constantiam Germaniæ.*

*Pontificē 23. Concilium Constantiense subterfugientē admonuit.*

Cum jam tempus præscriptum propinquaret, *Pontifex* autem *partim dubitare videretur, partim tergiversari*: Quæ cohortationes ejus fuerunt, quæ preces, quæ monitiones! Cum *se solùm huc venturum* diceret, *ne falleret promissam fidem*.

*In Constāt. Concil. publica negotia summo studio curavit.*

*Verba ejus pro decretis habita.*

*Liberrime in Concilio disseruit.*

Quo postquam ventum est, quid ab hoc prætermissum? quid non *actum summa cum diligentia, ut* hæ *radices schismatum*, quæ longius creverant, funditus *evellerentur*? Nullum tempus ab hoc negotio sibi vacuum dedit. Nunquam destitit, nunquam cessavit sollicitare, instare, exequi omnia quæ essent ad pacem, & dissidia summovenda. *Ejus præsentia tantum in omni re valebat, ut nihil agi posse videretur, ubi ipse non esset*: Qui & *celeriter res animo comprehendere & faciliter* posset *concilio explicare*. Itaque *deputabatur fere ad singula. Verbaque ejus pro sententia habebantur*. Illud vero summe laudabatur, quod ea quæ multi variis ex causis dicere nescirent, solus hic apte loqueretur. *Nemo* enim *liberius in hoc concilio locutus est unquam, nemo confidentius*. Deum plus verebatur quam homines, animæ salutem corpori præferens. *Hujus* tantum in rebus agendis valuit *auctoritas* & sollicitudo, ut si verum fateri volumus, necesse sit *potissimam partem* exoptatissimæ *unionis* quam manibus ipsis jam tenemus, nos *huic viro acceptam ferre*.

Qui

Qui cum hæc tam ampla jecisset fundamenta, perficiebat summo studio inceptum opus. Atque id magna ex parte sua impensa absolvisset, si longior fuisset vita. At illum, cum superioris partem egisset optime, in extremi actus, ut boni poetæ solent, perfectione laborantem fata interceperunt. Nec vero dubium est, quin si vixisset diutius *summo sacerdotio functus esset.* Nam omnes, summi, infimi, mediocres, illud *culmen pontificium ad eum uno ore deferebant*, illum maxime dignum asseverantes, qui ecclesiasticæ reipublicæ gubernaculum teneret. *Papali dignitate dignus.*

Exposui vobis breviter *ejus vitam*, tum *bene institutam*, tum *exactam sanctissime.*

Nunc ad reliquam partem, quæ mihi *de virtutibus ejus* proposita erat, veniendum est. De quibus tamen parce ac modice dixerim. Nolo enim causam agere virtutum, sed *Francisci propriam bonitatem* exponere. Ut & *honor debitus* ei reddatur, & reliqui ex hac virtutum ejus commemoratione incendantur ad gloriam. Harum cum *aliæ* dicantur à sapientibus *in agitatione mentis* versari, & veri perspicientia, *aliæ in actione:* In omnibus *Franciscus* facile *tenuit principatum.* *Virtutes Cardinalis Zabarellæ.*

Nam & *sapientiâ* & *prudentiâ* fuit tantâ, quantâ hujus seculi nemo fere alter. Ut omnem vitæ cursum ad *honesti* normam duxerit. *Sapientia & prudentia magna.*

Primum quidem *omne doctrinarum genus*, quibus ad scientiam pervenitur, indagavit, cognovit, percepit. Ut enim *à grammaticis* recedam, in quibus fuit peritissimus: *Rhetorum* præcepta summopere didicit, tantamque adeptus est in dicendo facultatem, ut *orator bonus* haberetur, etiam ab his, qui aures in ea re satis habent eruditas. Audistis enim *persæpe* illum *verba facientem*, etiam *ex tempore*, quæ magna est in oratore difficultas. Audistis non orationem, sed quasi fluvium quendam redundantem, tum *verborum copia*, tum *gravitate sententiarum.* Huic adjecit, ornamenti gratiâ, & *poetarum & historicorum cognitionem:* Quos magis *tenebat memoria*, quam hi, qui totam in illis ætatem consumunt. In *Logica* vero cum multum operæ posuisset, contulit se ad *Philosophiam*, ex qua juris disciplina, ut Ciceroni placet, haurienda est. Et cum universam percepit, tum *eam partem maxime quæ pertinet ad mores*, & qua boni efficiuntur viri. Cujus institutis omnes actiones & privatas & publicas accommodavit. Hinc vertit se ad *Theologiam*, in qua tantum studii posuit, ut doctissimis in ea viris compararetur. Reliquis *artibus* quæ *liberales* dicuntur, tantum indulsit temporis, ut de eis posset diserte copioseque loqui. Erat enim in Viro *summa vis ingenii*, *memoria* permagna, *legendi* vero tanta cura ac *sollicitudo*, ut quicquid otii a publicis privatisque negotiis superesset, id totum in lectionem conferret. *Summa fuit eruditionis. Extempore sæpe in Concilio orationes habuit. Poëtas & Historicos perscrutatus. Moralem doctrinâ adamavit. Theologiâ sedulo excoluit. Memoria tenax. Legendi cupido infracta.*

Sed omnia mihi rite consideranti genera studiorum, nihil nobilius, nihil majus videtur ei tribui posse, quam *scientia juris, & divini & humani*, quam præ cæteris tanquam peculiarem fundum excoluit atque ornavit. At quantum profuerit tum singulis, tum universis qui delectantur *legibus*, præsertim *pontificiis*, declarant *commentaria ipsius, edita* in eam facultatem, adeo comprobata omnium *Juris divini & humani peritissimus.*

consensu, ut non *interpres juris*, sed tanquam Solon *conditor legum* fuisse videatur. Qua ex re una immortalem ipsi gloriam & sempiternum nomen paratum videmus. Nihil præclarius excogitare potuit vir sapientissimus, nihil divinius, quam nobis *ejus artis difficultates patefacere*, qua maxime salutaris & usui mortalium esset necessaria. Nam sic habetote, Patres Conscripti, certum esse atque exploratum, *omnem vitæ nostræ rationem actionemque legum scientia & disciplina contineri.* Nulla quidem societas hominum, nulla conjunctio, nulla civitas constare posset, nisi gubernaretur *legibus*, quæ recte consueverunt a sapientibus appellari *mœnia civitatum.* Itaque in eis qui plurimum excellunt, permagni viri haberi solent. Pulchrum est enim & gratum omnibus, ut refert M. Tullius, in ea *scientia* laborare, quæ sit *multis profutura*, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Ipsarum quoque utilitatem ipse Tullius alio in loco majorem in modum extollit. Inquit enim: *Hoc est vinculum dignitatis, qua fruimur in re publica, hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis.* Mens & animus, & consilium & sententia civitatis, posita est in *legibus.* Ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine *lege*, suis partibus, ut nervis & sanguine & membris, uti non potest. Legum *magistri*, magistratus, legum *interpretes*, judices, legum denique omnes *servi* sumus, ut *liberi* esse possimus. Quorsum igitur hæc de legibus? Ut intelligant omnes, quantas gratias debeamus ei jure, qui ferme vitam omnem occupavit, tum in docendis legibus, tum in earum obscuris atque ambiguis sensibus enucleandis.

*Juris nodos solvit.*

*Jurisprudentia optimum vitæ præsidium.*

Neque tamen legum magis quam *morum* fuit *magister*, nec juris observantior quam *æquitatis.* Docuit autem, quod potuit vivens. Et cum cerneret vitæ tempus breve ac incertum, rerum vero difficultatem permagnam, effecit, ut *doctrinæ suæ* extarent *monumenta*, quibus facilior pateret ad discendum via.

*Non semper rigorē juris sed & æquitatem spectavit.*

Dixi de studiis scientiæ. Venio nunc ad eam quæ *una virtus* est *in hominum societate maxime necessaria*: *Prudentia* scilicet, quæ hunc maxime illustravit. Quis enim *in exquirendis consiliis* acutior fuit, solertior *in capiendis*? Erat in eo *usus* atque *experientia rerum* plurimarum incredibilis. Multa tenebat *præteritorum* monumenta, *antecedentia connectens præsentibus.* Quid *in re dubia* facto esset opus, facile conjiciebat. Nemo ad eum consultor adiit (plures autem quotidie accedebant) quin sibi bene consultum putaret. Erat *animus in consulendo liber*, omni cupiditate ac perturbatione vacuus. Itaque tantam fuerat *auctoritatem ex eo consecutus*, ut *si forte errore aliquo* (prout fert fragilitas nostra) *paululum laberetur*, tum proinde acciperent ac si factum id esset summa cum ratione. Concepta erat opinio prudentiæ longo tempore obfirmata, ut omnia ab eo optimo atque exquisitissimo consilio & dici & fieri putarentur. Quare auscultabantur ipsius *dicta* tanquam *oracula* cujusdam, omnia modo & ratione metientis.

*Prudentiâ eminuit.*

*Usu & experientia polluit.*

*In re anciptiti promptus.*

*Magnæ ex eo auctoritatis.*

*Dicta ejus pro oraculis habita.*

*Justitiæ tenacissimus.*

*Justitiæ* vero virtutum omnium parentis (ut eas quoque percurram quæ positæ sunt in actione vitæ) amantissimus fuit & servantissimus.

simus. Nihil ab eo inique dictum reperitur, nihil impie factum. Vixit ad præscriptum rationis. *Nunquam deflexit mentem ab æquitate*, nunquam progressus est longius, quam *honestas* dictaret. *Fidem* semper *inviolatam servavit*. Neminem læsit unquam. *Nullum afflixit injuriâ*, ne tunc quidem cum esset lacessitus. Quin *multos ab injuriis tutatus est*, quos honoris causa taceo, qui nisi his obstitissent ingenti fuissent affecti calamitate. Hæc enim erat ipsius & magna laus, ut nihil sibi antiquius existimaret, quam *oppressorum causam suscipere ac tueri*.

*Æquitatis observantissimus.*
*Fidē datā servavit.*
*Neminem læsit.*
*Læsos defendit.*

Quid loquar *de liberalitate ejus ac beneficentia*? Vereor ne quis sit iniqvus probitatis judex: qui forte putet me ostendendi ingenii causa hæc tam multa *de Francisci virtutibus* dicere. Atqui ita me omnipotens amet DEUS, ut vere & ex animi sententia loquor. *Nil simulatum* profertur, *nil fictum*. Narrantur ista à me, & quidem debilius quam rerum majestas ac pondus requirat. Neque enim esset quicquam tam magnificum dictu, quin id virtus superasset sua. Velut hæc ipsa, de qua loquor, *liberalitas* major erat quam à me verbis explicari queat. Non solum *familiaribus* subvenit & *amicis* quos senserat premi egestate, sed *ignotos* quoque *sublevabat*. Bona ejus erant proposita *omnibus*, præsertim his, *qui bonitatis speciem aliquam præ se ferebant*. Scio enim esse nonnullos ex his qui hic sunt, *quos juvit pecunia*, cum eos admodum raro vidisset. Nulli postulanti denegavit. Invitabat quoque sæpius ad petendum quos suspicabatur indigere, *se ipsum defraudans & vitam suam, ut sustentaret inopes*. Non enim abundabat opibus, ut scitis, sed charitate & misericordia, quibus eos qui dicuntur ditissimi superavit. Nullam rem magis *detestabatur*, quam *avaritiam*, quam malorum semen omnium & causam esse dicebat. Illamque Ciceronis sententiam usurpabat sæpissime: *Nihil esse tam angusti animi, quam amare divitias*. Nihil honestius magnificentiusque, quam pecuniam contemnere, si non habeas: Si habeas, ad liberalitatem beneficiaq; conferre. Græco etiam proverbio utebatur: Amicorum inter se communia omnia esse. Itaque erat quasi quoddam *asylum*, ad quod *pauperes* omnes honeste confugiebant. Nam *in referenda* quidem *gratia* fuit *diligentissimus*. Imitatus agros fertiles, qui plus semper reddant, quam acceperunt.

*Liberalis ac beneficus.*
*Erga amicos benignus.*
*Erga pauperes largus.*
*Bonis licet ignotis nō defuit.*
*Se ipsum fraudavit, ut sereret alios.*
*Misericors.*
*Avaritiæ inimicus.*
*In referēda gratia diligentissimus.*

Jam vero *modestia morum, victus temperantia, continentia vitæ*, ita in eo vigebant, ut nunquam ne parvula quidem nota ejus fama labefactaretur. *Sobrietas* peculiaris erat. Domus suæ *frugalitatem* magistram & ducem habuit composite vivendi. Non sumptuosis conviviis operam dabat, non indulgebat deliciis, non luxui, sed *temperantiæ & moderationi*. Utebatur quidem victu ornate, sed communi. *Paucis* erat *contentus*, & his quæ essent ad naturæ sustentationem. Non arbitrabatur se natum ad pastum & servitutem ventris, ut plærosque ex majoribus videmus, sed ad laudem & gloriam & honestatem. Voluptates autem corporis (quas Plato malorum escas appellat) exhorruerat in omni vita, tanquam exitialem ac pernitiosam pestem. Nam *oris moderationem gravitatemque* tantam servavit, ut

*Temperās.*
*Continēs.*
*Nulla vitæ macula inusta.*
*Sobrius.*
*Frugalis.*
*Convivia sumptuosa fugit.*
*Paucis contentus.*
*Ore castus ac gravis.*

nullum

nullum *verbum* ex eo prodierit non *grave*, non *plenum honestatis*, non dignum summæ auctoritatis viro.

*Animo fortis ac constans.*

Attendite nunc ad eam quæso, quam vos ipsi aperte conspiciebatis, *fortitudinem animi & constantiam.* Nam si fortis est & constantis viri, *non perturbari rebus asperis*, sed *prudenti animo uti & consilio*, ut sapientes volunt, quis eo fortior, constantior reperietur? Qui nullum horruit discrimen, nullum subterfugit periculum, nullam vim extimuit, ne tunc quidem, cum multi timerent, quo minus mente imperterrita constans & firmus esset in his rebus, quæ sibi honestæ videbantur. *Metus* sæpe *injectus* est, nunquam tamen *ad eum pervenit.* Homo ita erat ad virtutem institutus, ut *neque flecti precibus, neque terrore ab recta sententia* posset *deturbari.* Mitto vetera multa, quæ longum esset referre.

*Adversis nõ fractus. Consilii compos. Pericula non fugit. Metũ exeussit. Nec precibus nec minis à vero abstrahi potuit.*

Quid ille paulo ante vobis inspectantibus fecit? Mementote illius *turbulentissimi diei*, P.C. & eum ponite ante oculos vestros, *illius temporis* ut vere dicam *tumultum*, cum frequentes omnium ætatum, ordinum, nationum homines in illam concionem convenissent. Revocate animis vestris gravitatem rei (de suprema enim salute agebatur,) *dissensiones & varias multorum sententias* ac *nonnullorum trepidationem.* Quis enim fuit vultus? Quanta significatio animi & constantiæ? Qualis illa oratio? Quam plena dignitatis & prudentiæ? Cum nunc moneret, nunc hortaretur, nunc acriter objurgaret eos, quorum opera hi discordiarum fluctus excitabantur. Stupebant omnes, admirabantur tantam vim dicendi fuisse in eo, quem propter adversum valetudinem vix loqui posse credebant. *Cygnea vox* illa fuit *& futuræ mortis præsagium.* Nam dixit luculentius quam antea unquam. Et postremis verbis clamans inquit, *eam orationem suum fuisse testamentum*, cum sese ita comparasset, ut in unitate Ecclesiæ vellet animam profundere.

*In publicis dissensionib9, in Concilio Constantiensi subortis, animosus, & circũspectus. Cygnea vox in Concilio. Mortis præsagiũ.*

O virum ingentem, & fama dignum immortali! Quænam tanta esse posset copia dicendi, ut te digne ornaret pro meritis operum tuorum! Tu perfugium calamitosorum, subsidium inopum, bonorum sustentaculum fuisti. Tu splendor Italiæ, decus nationum, *ornamentum concilii, lumen seculi* extitisti. Tu sanctissimum omnium virtutum exemplar, ostendisti, quid reliquis agendum esset exemplo tuo: Et vitam præclaram ipsa morte reddidisti, eorum gloriam & laudem adeptus, qui quondam *pro salute patriæ mortem obiere.*

*Ornamẽtum fuit concilii. Lumen seculi.*

Sic enim existimandum, Patres Conscripti, continuis *laboribus* ac *vigiliis*, quos nimios suscepit in ista reipublicæ procuratione, & ultra quam ferre possent ætatis suæ vires, hunc virum *succubuisse.* Ex quibus cum in *gravissimum* incidisset *morbum*, victus amicorum precibus, delatus est ad balnea, vix respirans. Ubi cum paululum recreatus videretur, non expectavit firmam valitudinem. *Rediit ad* opificium suum & *labores consuetos.* Nam dum flagitabatur ab omnibus reditus ejus, tum scelus putabat se commissurum, si vel parvo tempore deesset publicis commodis. Itaque *rediit*, & adeo *inanis virium*, ut opus esset, si quem ad locum proficisci vellet, aliorum manibus

*Laboribo & continuis pro publico bono vigiliis exhausto. Gravissimo morbo affectus senex.*

nibus sustentari. Videbamus *pallorem vultus, oris macilentiam*, ac *totius debilitatem corporis*, non ut hominem, velut simulacrum viventis, & tanquam spirantis effigiem aspiciebamus. Mirabanturque *in membris adeo infirmis* tam *firmam vigere mentem.* Sed *superabat animi vigor corporis imbecillitatem*, & sibi pulchrum ducebat, eo certamine mortem oppetere, ex cujus victoria pax orbi terrarum parabatur.

Itaque cum *vis morbi* ingravesceret in diem, nullum autem sibi requiem daret, nihil sibi parceret, nihil indulgeret, vigilando, consulendo, laborando, *mole rerum ac lassitudine confectus expiravit.* Atque ita expiravit, ut nequeam, recordatione illius temporis quo reddebat animam, continere lachrymas. Oculis ipsis, & aspectu nos hortari, & *lachrymis quas plurimas fudit* commonefacere videbatur, ut instar sui causam publicam susciperemus. Quo tempore eum nemo vidit quin *uberrime fleret.* *Laborum mole extinctus, Constantia in Concilio.*

O diem calamitosum & mœstitiæ plenum, quo te amisimus, *Francisce*! Et qualem amisimus virum! Miserum me atque infelicem, quid agam? Quid clamem? Aut querar, tali orbatus patre? Miseros etiam tuos omnes, ad quos deferetur tam crudelis nuncius mortis tuæ! Sed nos miseriores, qui aspectu ipso torquemur, luctu & mœrore confecti. O flebilem fragilitatis humanæ conditionem! Te non amplius aspiciemus? Tene, chare parens, amplius videre, audire, colloqui non licebit? Tune a nobis tam subito eriperis? O, rem mœstam & acerbam intuebor? Intuebor, saltem dum adest. Neque a te oculi dimovebuntur mei, quoad illud *extremum vale* dictum erit.

Quid ego nunc vos detestor, mortem acerbam, & inexorabilem vim fatorum, quæ tam impias manus in tam pium virum injecistis? Vosne in tanta mole agendorum, in tanta expectatione rerum, tam iniquo tempore, tantum auxilium nobis eripere potuistis! Vosne decuit nullorum hominum habere discrimen? Nonne satius fuerat, cum tot nepharii, improbi, seditiosi (quorum magna semper est copia) *in hoc Concilio* versarentur, qui omnia permisceant, ac perturbent, nonne inquam hos omnes satius erat perditum ire, ex quorum interitu salus parabatur orbi, quam hunc virum privari vita, ex cujus incolumitate salus omnis pendere videbatur?

Sed omittam *lamentationes* & *fletum*, non quidem nostra causa, quibus perpetuo dolendum erit, sed illius, qui, hoc exutus concreto corpore & mortali, cœlituum fruitur concilio. Nam si *ampla patuit semper virtuti ad cœlos via*, profecto *animus sacer atque immortalis*, omni cultus virtute ad cœlos evolavit, & in numero sedet beatorum.

Nunc illud superest, ad quod animadvertatis oportet, Patres Conscripti, ut quoniam *vir hic optimus in reipublicæ munere interiit*, eum quoque *publicis honoribus decoremus*, qui sint ad nomen posteritatis sempiternum. Et quoniam *pompa funeris haberi satis digna non potuit, propter difficultatem temporum*, diligentior habenda est ratio *monumenti.* Curandum est enim, si grati volumus existimari, ut *sepulchrum* illi *ex publico ære ædificetur* quam magnificum, in quo scriba- *Pompa funebris in Conc. pro temporũ conditione nõ magna sed honesta. Sepulchrũ jure condendũ.*

tur breviarium gestorum ejus, prout solitum est fieri his qui pro patria occubuissent. Superimponenda esset sepulchro *aurea statua* more priscorum, cujus basi esset inscriptum: *Parenti patriæ.* Sed quia hic mos venit in desuetudinem, satis erit constitui *sepulchrum*, ornarique ad modum majorum nostrorum, cum *inscriptione honorifica*, quæ sit ad honorem ipsius, & ad imitationem posterorum. Nam quamvis ipse sibi vivus *monumentum* extruxerit *ære perennius*, quod nulla unquam disturbatura sit vetustas, tamen *gratitudinis* vestræ erit, in virum de vobis benemeritum vestri *judicii memoriam* extare. Ut una cum gloria sua vestrique officii perpetuo sit *fama* conjuncta.

Quod reliquum est, vos oro obtestorque, Patres, primum, ut *illius virtutem imitari* velitis in omni vita quem tantopere comprobatis: Deinde ut *ejus memoriam* vestris animis defixis perpetuo *conservetis.*

## *Lectori S.*

ORatori Florentissimo, *Poggio Florentino*, jungendus *alius celebris Cardinalis Florentini Encomiastes.* Interfuit & hic Concilio, qui res Cardinalis in Concilio gestas coram perspexit. Quis vero ille, hactenus non constat. Nec enim in *Lipsiensi MSCto* nomen autoris expressum. Fortassis eadem hæc Oratio habetur in *Codice MSCto Augiæ divitis*, in quo magnus orationum numerus, quas Viri illustres in Concilio Constantiensi de variis causis solenniter habuerunt, est comprehensus. Neq; dubium, quin *autorum nomina* sua singulis orationibus ibi sint assignata. Qualem *Oratorum in Concilio Const. clarorum longam seriem* supra *Parte VIII. in Præfatione* pertexuimus, *aliosq;* præterea in *nostris* offendimus *MSCtis.* Est autem hæc in *Codice MSCto Lipsiensi* inscriptio: *Collatio facta in Exequiis Reverendissimi Domini Cardinalis Florentini, defuncti Constantiæ Anno Domini* 1417. *die* 2. *Octob. tempore Concilii Constantiensis.* En ergo.

# ORATIO
## ANONYMI,
*in Exequiis*
# FRANCISCI ZABARELLÆ,
Cardinalis Florentini,
A. 1417.
Constantiæ Germanorum in Concilio Universali
*habita.*
*Ex antiquissimo Codice MSCto*
*BIBLIOTHECÆ PAULINÆ ACADEMIÆ LIPSIENSIS.*

*PRæstantissimi Domini Patres, almo honore & cultu dignissimi, cæterique doctissimi viri.* Dum veris lacrymis ora rigabam, & quod sæva fatorum series in præsenti casu disposuit humanitus criminarer, cum *laureato Petrarcha* celebrius (f. crebrius) replicans: *Dii, qualem hominem, quid divite cœlo terræ subtrahitis brevi minus egenti?* Ex templo ratio astitit, mœstum erexit, lacrymas tersit, idque Apostolicum menti objecit, quod sacer ille *Paulus* scribit ad Corinthiacam

thiacam Ecclesiam, *Absorpta est*, inquiens, *mors in victoriam*, 1. *Cor. XV.* Doctor eximius *Augustinus* quantam ex devicta morte victoriam genus consequatur humanum *libro suo de Civitate Dei XIII.* referat, ita dicens: *Deus tantam gratiam humano generi contulit, ut mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transferremur ad æternam felicitatem.* Ex quibus Doctoris verbis patet, quod *triplicem victoriam ex morte* quisque justus consequatur: Quemadmodum est *victoria contra carnem*, est *victoria contra mundum*, & est *victoria contra Diabolum. Ambrosius* super 1. *Apoc. Exivit Vincens ut vinceret.* *In morte victoria.*

De felici transitu præclaræ memoriæ *Reverendissimi Patris & Domini, Domini Cardinalis Florentini dignissimi*, textus præbet flentibus solamen. Equidem primo, *ob immutationem vitæ certioris, in depositione corporalis sarcinæ.* Quod Deus tantam gratiam humano generi contulit, ait *Augustinus.* Propter quod & *à Reverendissimo Domino Cardinali* præfato, ut inquit thema, *absorpta est mors in victoriam. Concessa est tibi victoria*, dicitur illi. 2. *Reg. XII.* *Fun. Cardinalis Florentini.* *Fructus ex morte, vita melior.*

Præbetur deinde flentibus solamen & secundo, *ob collationem status melioris, in depositione temporalis miseriæ.* Propter quod & mortem constat vitæ esse contrariam, ait *Augustinus.* Unde & a *Reverendissimo Domino Cardinale* præfato, ut inquit thema, *absorpta est mors in victoriam, quæ vincit mundum.* 1. *Job. V.* *In morte finis miseria.*

Præbetur tandem flentibus solamen & tertio, *ob adeptionem fructus plenioris, in separatione criminalis culpæ.* Propter quod mors instrumentum fit, per quod transferimur ad æternam felicitatem, ait *Augustinus.* Unde & *a devotissimo Cardinale* præfato, ut inquit thema, *absorpta est mors in victoriam. Reduxit me gaudentem*, supple, ad Deum, *victoria sua*, inquit de ipso spiritus ejus, *Judith. XIII.* *Mors via ad vitam.*

Ex quibus patere jam potest, quod prætendere volebat assumtum verbum, quod pro felici transitu *tam præclari Domini* introduxi in propositione primaria: *Absorpta est*, inquiens, *mors in victoriam.* Quod erat principale propositum.

Præmissis igitur his, de felici transitu præcolendæ memoriæ *Reverendissimi Domini Cardinalis* præfati præbetur primo flentibus solamen *ob immutationem vitæ certioris, in depositione corporalis sarcinæ.* Nempe præsens *vita*, qua vivimus, si tamen vita dicenda est, tam *brevis* est, est tam umbrata, in sperantibus in eam, ut ante defluat, quam veniat, ante deficiat, quam cognoscatur. *Ambrosius* in *sermone de martyribus: Equidem homo natus est de muliere, brevi vivens tempore, quasi flos egreditur & conteritur, & nunquam in eodem statu permanet. Job. XIV. Omnis nos hora per tacitos fallentesque contractus applicat. Cito, & in hac turpissima perpetuitatis cogitatione, districte perfestinantis ævi momento permorimur. Quintilianus Declamatione tertia.* Quotidie enim morimur. Quotidie aliqua pars vitæ demitur. Et tunc quando crescimus, & vita decrescit. *Moralis Seneca* 32. *epist.* Propter quod concluditur, quod vita nostra sit vapor, admodum pavens, qui cito exterminabitur. *Jac. III.* *Vita hæc cito effluit.*

*Vita restat melior.*

Ergo, si homini *superest vita*, erit longior & *melior*. Quod *Philosophorum* magnorum argumento, & ex *vatum* responso, & *Prophetarum* divinis vocibus discimus. Profecto *hanc vitam præsentem contemnere sapientis est*, cujus omnis jactura in morte terminatur, *Firmianus Lactantius Institutionum contra gentes lib. 3. cap. 9.* Quinimo, si

*Vitam præsentem contemnit sapiens.*

inest homini ratio, piissimis vocibus optandum esset, si divinæ placeret pietati, ut nos mundana custodia absolutos superioris partis naturæ restituat. *Mercurius Trismegistus ad Esculanum.* Non enim ut animalia rationis expertia, sic creatus est homo. Sed erecta corporis forma admonet eum, quæ sursum est vitam quærere, non super terram. *Augustinus de Civit. Dei.* Sunt certe homines hac lege generati, ut mentem suam divinis sensibus repleant, ut perinde suo creatori absque admixtione terrena serviant, prout unicuique ex sua destinatione temporis restat. De *immortalitate animæ ad Eusebium.* Ex quo, velut ex fundamento, *de inexpectatæ ac maturæ mortis eventu communis hominum querela* repellitur. De quo in *lib. De brevitate vitæ ad Paulinum moralis Seneca* ita scribit: Major pars hominum, Pauline, de naturæ malignitate conqueritur, quod in exiguo ævi gignamur, quod hic

*Vita hæc longa satis, recte collocata.*

tam velociter tam rapide data nobis temporis sparia decurrant: adeo, ut, exceptis paucis, cæteros in inchoatæ vitæ apparatu vita destituat. Nec huic publico, ut opponantur, malo turbatissimum & impudens genus ingemuit: Clarorum quoque virorum hic affectus querelas evocat. Et respondet: Magna & in multarum rerum consummatione *large vita data* est, si *tota bene collocaretur*. Sed ubi per luxum & negligentiam defluit, ultima necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transiisse sentimus. *Non accepimus* brevem vitam, *sed facimus*: Nec inopes ejus, sed prodigi. Cui tamen querelæ fidelius ac devotius *Petrus* obviat *Damianus*, *in Sermone de præventa morte*, ubi ait: Quid mirum, si ex hac mortali vita ad immortalitatis certitudinem fideles suos varia evocat divina bonitas, alios ætate, alios meritis, alios diversis moriendi generibus præveniens. Neque eos aliter dilexisset, si ea, qua vocati sunt, vocatione non emigrassent.

Ex cujus dictis evidenter elicitur, unde aliqui in pueritia, alii in juventute, plures in senectute, sive sub diversis dierum ætatibus, sive sub modis moriendi diversis, ad vitam transferantur futuram. Quoniam, dum melius reperiuntur dispositi, ad certiorem vitam evocantur electi, ut ibidem ab eodem concluditur. Hæc enim inventa jam est hora, in qua transiens Dominus suis ministrat electis, quando sive in secunda vigilia, sive in tertia vigilia venerit, & ita paratos invenerit, beati sunt servi illi. Vid. *Luc. XII.* cum suis glossis.

Ergo *præclarissimi Domini*, potissimumque *chari & domestici ejus*, qui de lapsu tam *pretiosi Ecclesiæ cardinis*, de morte *tam præclari*

*Memoria vitæ bene actæ æterna.*

*viri* contristati estis, consolemini invicem verbis istis 1. *Thessal. IV.* Equidem, si brevis à natura nobis vita data est, & *memoria bene redditæ sempiterna*. *Ambrosius* super illo: Vitam petiit à te, & tribuisti ei in seculum seculi. *Ps.* 22. Quis enim *tanti viri* vitam, cujus memoria in benedictione est, *Eccles.* 47. cujus laus per omnem Ecclesiam, 2. *Cor. IV.*

*IV.* per mortem carnis defecisse dicere audeat? Non deficit vita, quæ in melius immutatur. *Glossa super illud Apostoli ad Corinth:* Omnes quidem moriemur, sed non omnes immutabimur. 1. *Cor XII.*

Quanto potius ii vivere dicendi sunt, qui ita vivendum esse operibus censuerunt, ut ad meliorem certioremque vitam meritis transferrentur, *Firmianus Lactantius in lib de vero cultu, c.* 12. Non ergo, amici, non ergo illa summa vita dicenda est, quæ corpore & spiritu continetur. *Illa*, inquam, *est summa vita, quæ vigebit memoriâ seculorum omnium*, quam posteritas alet, quam æternitas ipsa semper tuebitur, *Petrus Damianus de vita Pauli.*

Verùm, quia in moralibus particularia movent, quemadmodum universalia in speculabilibus, ut declarat *Eustachius, super primo Ethicorum* 44. *commento:* Illa itaque dum inspiciuntur attentius, *rerum testimonia* probant.

Et ut paucis cuncta complectar, *ejus vita*, si recte sentio, in quatuor refulgebat. Nam refulget in *virtutibus*, refulget in *doctrina*, refulget in *fama*, refulget in *laudibus.* *Vita præclara Cardinalis Florentini.*

Refulget in *virtutibus*, in illis potissimum, ad quas cæteræ referuntur, quæ *morales* seu *civiles* dicuntur. De quibus in suo *de Somno Scipionis Macrobius* ait: Boni viri reipublicæ consulunt, urbes tuentur, parentes venerantur, liberos amant, cultum salutis gubernant, socios circumspecta providentia protegunt, juxta liberalitate devinciunt, hique suo mœrore alios faciunt mœrentes. *Virtutibus decoratus.*

Nam si de ejus *justitia* quæretur, in scientiæ rectitudine, tanta de eo percipies, ut *contra dictamen conscientiæ nunquam consilium dedisse, nunquam tulisse simoniam*, suorum confessorum testimonio comprobetur. Et *quod mirabilius in jurisperito* apparet, illis quatuor, quibus secundum *Isidorum* pervertitur judicium, & justitia sepelitur, ita caruit, ut à justitiæ corruptoribus, ab iis, *qui venale statuunt genus humanum*, velut hostis evitaretur. Hæc quatuor, *timor, odiumque, dilectio*, atque *census.* XI. *q. III. cap.* 78. Nam *timorem non habuit.* Cum nihil nisi turpia timeret. *Odio caruit*, cum injuriarum oblitor cunctos in charitate dilexerit. *Amorem postposuit privatum*, cum non fuerit acceptor personarum. *Censum contemsit concupitum*, cum fuerit erogator eleemosynarum. Probant primum *domestici*, secundum *procuratores & advocati*, tertium probant *consangvinei & affines*, quartum vero probant *pauperes.* Unde *Paduæ*, ubi multo tempore legendo, scribendo, disputando, scholas in utroque jure gloriosissime rexit, non solum doctrinæ, sed materiali cibo scholares pauperes & egenos non sine magnis sumtibus & expensis, velut *pater pauperum*, nutriens confovebat. *In Romana* vero *curia*, præsertim *in loco præsentis concilii*, quid circa *pauperes* egerit, dicant *pauperes Episcopi*, dicant *miserabiles clerici*, quibus non tantum de sibi necessariis, cum *pauper Cardinalis* existeret, sed & de aliunde mutuatis providebat assidue. Ita ut admirative cum scriptura diebus maxime currentibus dicere habeamus: *Quis est hic, & laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vita sua.* Nam post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris. Ideo stabilita *Justus. Consilia dedit integerrima absq; omni conscientiæ vulnere. Metu expers. Amore nō fascinat. in judicio. Munera nō captavit. Professor Juris in Academia Paduana floruit. In Concilio Const. pauperes aluit. Avaritiā fugit.*

ta sunt opera illius in Domino, & eleemosynas ipsius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.

*Temperans. Cælebs. Castus. Parcus ei victus. Noctes insomnes.*

Si verò *de temperantiæ* ipsius moderamine scire velis, testentur abstinentiæ, testentur jejunia, testentur sobrietas, castitas. Quæ ipsum non tam *cælibem*, sed, quod paucissimis datum est, supradicto suorum confessorum testimonio, *virginem* præservaverunt. Novit quippe devotissimus Dominus, quod *abstinentiæ, jejunia, vigiliæ* sint, *salubria castitati*, quibus nonsolum libidinum incendia mortificantur, sed fere extinguuntur, ut *ad fratres de monte Dei* devotus scribit *Bernhardus*. Inde enim *in die raro nisi semel cibum sumens*, noctes sacris vigiliis & lectionibus occupabat, illud *Hieronymi ad Rusticum monachum* mente sæpius revolvendo: Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis.

*Animo constans in adversis. Dissensiones Pontificum sedatum ivit.*

*Fortitudo* verò ipsius, cujus proprium est, vitam supra periculi metum agere, in prosecutione unionis Ecclesiasticæ satis apparuit. Maxime *in casibus arduis præsentis concilii*, in quibus nemo securior, nemo audacior. Ita, ut *in tanta perturbatione rerum potius eligeret feliciter mori, quàm cum injuria Dei, cum Ecclesiæ detrimento feliciter vivere*. Ob hoc enim tanta veneratione celebrabatur à doctis, ut *quasi à cœlo datus ad schisma inveteratum removendum, ad unionem Ecclesiæ concludendam* videretur. Neque mirandum. Ut enim verbis utar *moralis Senecæ* in *De Clementia ad Neronem*, si videris hominem imperterritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, mediis tempestatibus placidum, nonne subibit te veneratio ejus? Nonne dicis: Hic de cœlo venit. Vis istud. Istud enim de divina providentia descendit. *Non potest res tam alta sine adminiculo Numinis fieri.* Sit certe fortitudo & decor indumentum ejus. *Proverb. ult.*

*Prudentia polluit singulari.*

Sed si *prudentiam* tanti viri sectemur, prudentia tanta illi erat, non illa quidem carnis, quæ secundum Apostolum inimica est Deo, *Rom. VIII.* sed quæ præstituit finem virtutibus moralibus, illasque connectit, cum plenitudine, cum diligentia, quæ ad ipsam pertinent, prout declarat *Sanctus Thomas II. 2dæ q. IV.* Utique per ipsum agenda, quæque dicenda, quæque tractanda erant, glorioso fine perfecit. Unde & propter ipsam illi inerat ratio, intellectus, circumspectio, providentia, docilitas, & cautio. Quæ partes sunt ipsius, secundum Platonem & Macrobium ubi supra.

Ex *hujus* ergo *vita in virtutibus refulgente* de ipso cum scriptura habemus concludere, quod sit mortuus, & quasi non sit mortuus. Reliquit enim similem potius vitam, videlicet in virtutibus refulgentem, *Ecclesiast. III.*

*Eruditionis Zabarellianæ testes monumenta ejus literaria.*

De refulgentia vero vitæ ipsius in doctrina, *libri* loquantur *ab ipso editi, apparatus, tractatus, consilia, quæstiones, epistolæ, sermones, aliaq; opuscula* curiosa, in quibus vita vivet, & non morietur, *Ezech. XVIII.* Ob hoc docti Viri atq; justi, & nullam aliam ob causam vivere optaverunt, ut videlicet docendo aut scribendo aliquid efficerent quod vita dignum esset, ut ait *Lactantius*. Numquid non propter hoc *Paulus* cum suis epistolis vivit? Numquid *Hieronymus* in Bibliis, quæ transtulit, & suis libris? Numquid *Augustinus* in libris & doctrinis suis, cæteriq; doctores? Quinimo hi vivunt, qvum eorum verba, spiritus & vita sint. *Joh. VI.*

*Inclarnit*

Refulgentiam vero vitæ ipsius in *fama* contestetur *Italia*, contestetur *Romana curia*,

*curia*, parum dixi, *tota* contestetur *Ecclesia*, apud quam tam celebris habebatur, ut omnium judicio *summo sacerdotio dignus* esset. *per totam Ecclesiã.*

Verùm, quia non solum ratione *doctrinæ* ejus *fama* perhibuit, sed ratione *rectæ factorum, magnorumq; in rempublicam meritorum*, & potissimum *in præsenti sacro Concilio*, ubi ex omni natione, quæ sub cœlo est: Inde ejus fama tam optimi cujusq; viri quàm multitudinis testimonio comprobatur. Ob hoc vivet in Regibus, vivet in Principibus, vivet in Prælatis, vivet in subditis, vivet in communitatibus, vivet in universitatibus, vivet in Doctoribus, vivet in scholaribus. Ita ut illi dicat Scriptura: Vivat in novissimo vita tua, *Ecclesiast. IV.* *Magna e-jo in rem-publicam sacram merita.*

De refulgentia tandem vitæ ejus in *laudibus*, cum *laus* sit *sermo elucidans magnitudinem virtutis*, ut dicit *Philosophus primo suorum Rhetoricorum VI.* quod neque tanti sum, ut valeam, neq; tanti, ut queam tam præclari viri dignas persolvere laudes, cum Salomone dicam in *Proverb.* Laudent illum in portis opera ejus, *Proverb. VI. In portis*, quæ extrema sunt domus, hoc est, in extremis vitæ, hoc est, *in morte.* Nam nos ita admonet sermo divinus; Ne laudaveris hominem in vita sua, *Ecclesiast. VI.* secundum antiquam translationem, acsi aperte dicatur, *in portis.* *Ambrosius* super eodem verbo *in sermone de confessore.* Hujus profecto viri merita, quia in vita condigna laude non fuerunt præmiata, dignum est, ut post mortem ampliori laude efficiantur munita. Ut de quibusdam justis *in tertio dialogo Gregorius* scribit; Papa plus cognoscetur post mortem, quam fuerit appretiatus in vita. Nam privatio in moralibus magis scire habitum facit, ut dicit *S. Thomas in quæstionibus de malo, q. 5. art. 2.* Ut sic ex fructu operum sit laus ejus in Ecclesia sanctorum, *Ps. xlv.* *Magnam post fata laudem meruit.*

En ergo chari & domestici ejus. Quoniam mors terribilis est *eorum*, quorum cũ morte omnia extinguuntur, non *quorum laus emori non potest*, ut scribit *Cicero in suis paradoxis*; cum sit ejus memoria in laude *Ecclesiast. II.* Quinimo laus ejus in laudem, & nomen, *Sophoniæ III. Cap.* maximeque in conspectu totius Ecclesiæ: In præsentia ejus, qui diem clausit extremum, siccate lacrymas, mœstitiam deponite. Equidem, si excessit *devotissimus Dominus* terminos, inter quos cernitur, excepit illum vera, æterna pax, non paupertatis metus, non divitiarum cura, non libidinis pervolutatione animus carpitur, stimulis incessitur, non invidiâ felicitatis alienæ tangitur, non lue premitur. Tandem ibi consistit, ubi nil eum pellat, nil eum repleat. *Moralis* item *Martialis*, & similiter *Petrus Damianus sermone quo suprà.* Equidem, si tam ex divinis quam humanis scripturis omnibus, qui patriã conservaverunt, adjuverunt, auxerunt, certũ est, esse in cœlo, definito loco, ubi beati sempiterno ævo fruuntur, ut *in 4to de republ. Cicero* sentit: Multo magis hi, qui pro Ecclesiæ conservatione, pro Ecclesiæ reparatione laborantes assidue, *in laborando mortem incurrerunt.* Sic enim & *devotissimus Dominus* coronabitur, quia legitime certavit, *supra Cor. II.* ita, ut cum Paulo tandẽ sibi dicere licuerit: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo, & in posterum reposita est mihi corona justitiæ 2. *Tim. IV.* Bonum, inquit, certamen certavi, carnem, mundum & diabolum evincendo: Cursum consummavi, statum mortalis vitæ laudabiliter terminando: Fidem servavi, commissa fideliter & diligenter exequendo. *Glossa super eadem.* Sed quia, *qualis quisque in vita fuerit, finis ostendit*, ut *in Synonymis* dicit *Isidorus*: Inde Dei bonitas multiplicatur ad bonitatem & augetur ad salutem. Postquam de ipso in purgationem culparum, ad exitationem virtutum, in cumulum meritorum, *longa ægritudo* & pœnosa *experimentum tolerantiæ* dedit, reliquit exemplum: Receptis Ecclesiæ Sacramentis devotissime, *lacrymisque perfusis*, ipsum in lucis ac pacis regionem constituit, aut in re, aut in propinqua spe, ut ex operibus vitæ pie credendum esse non dubitamus. Sic enim factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion, Ps. 75. *Beatus. Inter labores succubuit. Gravissimo morbo in Concilio correptus. Inter lacrymas expiravit senex.*

Quare vos amici & chari ejus, quia *levis est dolor, qui capere consilium potest*, ut in Trojadis tragœdiis ait, de felici transitu præcolendæ memoriæ *tam devoti Domini*, quod Apostolica verba vos admonent, nolite contristari, sicut cæteri, qui spem

non

non habent 2. *Thes. IV.* Et hoc, ut videri potuit, ob immutationem vitæ certioris, ob collationem status melioris, ob adeptionem fructus plenioris. Propter quæ ab ipso *devotissimo* præfato *Domino*, ut inquit thema, absorpta est mors in victoriam Quam victoriam nobis concedere dignetur ipse Dei filius, qui vivit in secula seculorum benedictus, Amen!

Nobilissimum
hoc
*De Reformatione Ecclesiæ*
*in Concilio Constantiensi*
Opusculum
Eminentissimi
CARDINALIS FLORENTINI
FRANCISCI ZABARELLÆ,
Clarissimi in Concilio luminis,
*Ex antiquissimo ac inæstimabili Codice MSCto*
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ
VINDOBONENSIS
erutum lucique datum
In Academia Julia
Anno MDCXCVI.
sacratissimo Leopoldi die
15. Novemb.
Auspiciis
Serenissimi Brunsvicensium
Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI,
Augustissimâ Gratiâ
POTENTISSIMI CÆSARIS
LEOPOLDI
PII, FELICIS.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf